


LIBRARY OF CONGRESS.

PA 6296

Chap. 37 Copyright No. D65

Shelf 1872

UNITED STATES OF AMERICA.



C 5666C

ARS ORATORIA.

SELECTIONS FROM

CICERO AND QUINTILIAN ON ORATORY.

WITH NOTES.

BY MARTIN KELLOGG,

PROFESSOR OF LATIN AND GREEK IN THE UNIVERSITY OF CALIFORNIA.

"Eligat itaque peritus ille praceptor ex omnibus optima."

Quint. viii., Prooem 3.

NEW YORK:
IVISON, BLAKEMAN, TAYLOR & CO.,
138 & 140 GRAND STREET.



PA 6296
1165
1872

Entered according to Act of Congress, in the year 1872, by
MARTIN KELLOGG,
In the Office of the Librarian of Congress, at Washington, D. C.

P R E F A C E.

THIS little book asks the attention of students of Latin, on the following grounds: the importance of the subject-matter, the eminence of the writers whose precepts are here given, and the select quality of the reading afforded.

No study is more important to the young men of our Colleges, than the study of oratory. They are to be public men, in a country where it is especially needful to know how to speak well. If a learner of Latin can at the same time learn the best rules of oratory, he will gain a double good. The slowness of his reading, and the close attention it requires, will serve to fix the thoughts indelibly in his mind.

The authors here offered for study stand in the very foremost rank. Pre-eminent among the Latin writers, their authority as teachers has never waned. They drew from the earlier Greeks; succeeding ages have been content to learn from them. Cicero knew whereof he taught. We may be glad of the self-appreciation which was sometimes a blemish, but which led him to linger on the field where

he was a conscious master. Quintilian was himself no mean orator; but he preferred to instruct rather than to plead. In his great work, he has gathered up the wisdom of earlier writers on oratory, and given it a new breadth and harmony.

But why take only extracts from treatises so important? Simply because they are not read, and will not be read, in their complete forms. In the new College curriculum, other departments, growing more numerous and more exacting, have crowded hard upon the Classics. As a matter of fact, few Classes read more than a hundred pages of either Cicero or Quintilian on oratory; some, not so much of both. Kingsley's *De Oratore* makes over 200 pages of Latin text: nearly 100 are filled by Frieze's 10th and 12th Books of Quintilian. The reading of these great works must, therefore, be fragmentary. To study and appreciate them in their completeness, is out of the question. This advantage lost, the best thing that remains is to read the choicest portions. There is much in these ancient writings that is to us of inferior interest; the authors' voluminous prefaces; the personal allusions; technical details taught in the schools; historical notices of men not now historical; the outflowings of national pride; and other things which are not "padding," but are of little pertinence to modern life. Of the much that is really valuable to us, some portions are far

more important than others. Striking sentiments, fine illustrations, critical estimates, pregnant maxims, and practical rules are found in every part of the original works. With the best selection of these, students in Latin will have the best possible reading-book for their limited study of oratorical writings.

This best possible selection the present Editor has no thought of being able to offer. But he has spent much time in culling and arranging what seemed most likely to be of service. Whatever failure there may be in the execution of his plan, he is confident that the plan itself is a good one. If executed with a fair degree of accuracy and good judgment, it should double the value of at least one Term's reading in Latin.

No liberties have been taken with the text, save in the way of omission. Some connectives are left in disjunctive positions. But the sequences of thought are such as to give each half of the book a certain continuity and completeness. The reading will be found by no means jagged; and no page can fail to enrich the mind of the learner. Notices of the authors are prefixed to the Notes. The text followed has been, for Cicero, that of Klotz, collated with Orelli's; for Quintilian, Bonnell's, with a comparison of the standard edition of Spalding and Zumpt. The variations in orthography are not always harmonized: it will do the student no

harm to accustom himself to the differing forms of *quum* or *cum*. The Notes are not voluminous. A book of such excerpts seems to need less elucidation than any equal portion of the original works. The vexed passages, usually the least interesting, are the least likely to be included. The most striking thoughts shine by their own light. The numbering runs through each author. An index gives the corresponding numbers of the full editions.

The Editor acknowledges his indebtedness to the editions above mentioned, and to others; especially Billerbeck's *De Oratore*, Kingsley's *De Oratore*, Jahn's *Orator*, and Frieze's *Quintilian*. The American editions are so excellent, that nothing but the urgency of a new plan would have led him to cover the same ground, though it be but here and there. A few references have been made to grammars; to Harkness, and oftener to Madvig, in the fine edition revised by Professor Thacher.

The name *Ars Oratoria* has been given to this compilation for the sake of convenience. Though the work is so fragmentary, it is at least as complete as the Epistle of Horace styled the *Ars Poetica*; which of course suggested the title of the present book.

UNIVERSITY OF CALIFORNIA, *May, 1872.*

ARS ORATORIA.

PART I.

CICERO.

MIHI quidem saepenumero in summos homines ac summis ingeniis praeditos intuenti quaerendum esse visum est, quid esset, cur plures in omnibus artibus, quam in dicendo admirabiles exstitissent. Nam quocumque te animo et cogitatione converteris, permultos excellentes in quoque genere videbis, non mediocrum artium, sed prope maximarum. . . Quis dubitet, quin belli duces praestantissimos ex hac una civitate paene innumerabiles, in dicendo autem excellentes vix paucos proferre possimus? Jam vero consilio ac sapientia qui regere ac gubernare rem publicam possent, multi nostra, plures patrum memoria atque etiam majorum exstiterunt, quum boni perdiu nulli, vix autem singulis aetatibus singuli tolerabiles oratores invenirentur. . . In qua difficile est enumerare, quot viri, quanta scientia, quantaque in suis studiis varietate et copia fuerint, qui non una aliqua in re separatim elaborarint, sed omnia, quaecumque possent, vel scientiae pervestigatione vel disserendi ratione comprehenderint. Quis ignorat, ii, qui mathematici vocantur, quanta in obscuritate rerum, et quam recondita in arte et multiplici subtilique

versentur? Quo tamen in genere ita multi perfecti homines exsisterunt, ut nemo fere studuisse ei scientiae vehementius videatur, quin, quod voluerit, consecutus sit. Quis musicis, quis huic studio litterarum, quod profitentur ii, qui grammatici vocantur, penitus se dedit, quin omnem illarum artium paene infinitam vim et materiem scientia et cognitione comprehendenterit? Vere mihi hoc videor esse dicturus; ex omnibus iis, qui in harum artium liberalissimis studiis sint doctrinisque versati, minimam copiam poëtarum egregiorum exstisset. Atque in hoc ipso numero, in quo perraro exoritur aliquis excellens, si diligenter et ex nostrorum et ex Graecorum copia comparare voles, multo tamen pauciores oratores quam poëtae boni reperientur.

- 3 Quod hoc etiam mirabilius debet videri, quia caeterarum artium studia fere e reconditis atque abditis fontibus hauriuntur, dicendi autem omnis ratio in medio posita communi quodam in usu atque in hominum more et sermone versatur; ut in caeteris id maxime excellat, quod longissime sit ab imperitorum intelligentia sensuque disjunctum, in dicendo autem vitium vel maximum sit a vulgari genere orationis atque a consuetudine communis sensus abhorrere. Ac ne illud quidem vere dici potest, aut plures caeteris inservire, aut majore delectatione, aut spe uberiore, aut praemiis ad perdiscendum amplioribus commoveri. Atque ut omittam Graeciam, quae semper eloquentiae princeps esse voluit, atque illas omnium doctrinarum inventrices Athenas, in quibus summa dicendi vis et inventa est et perfecta, in hac ipsa civitate profecto nulla umquam vehementius quam eloquentiae studia viguerunt... Ingenia vero, ut multis rebus pos-

sumus judicare, nostrorum hominum multum caeteris hominibus omnium gentium praestiterunt. Quibus de causis quis non jure miretur ex omni memoria aetatum, temporum, civitatum tam exiguum oratorum numerum inveniri?

Respondeo, mihi dicendi aut nullam artem aut 4 pertenuem videri, sed omnem esse contentionem inter homines doctos in verbi controversia positam. Nam si ars ita definitur, ut paullo ante exposuit Antonius, ex rebus penitus perspectis, planeque cognitis, atque ab opinionis arbitrio sejunctis scientiaque comprehensis, non mihi videtur ars oratoris esse ulla. Sunt enim varia, et ad vulgarem popularemque sensum accommodata, omnia genera hujus forensis nostrae dictionis. Sin autem ea, quae observata sunt in usu ac tractatione dicendi, haec ab hominibus callidis ac peritis animadversa ac notata, verbis definita, generibus illustrata, partibus distributa sunt—id quod video potuisse fieri—, non intelligo, quamobrem non, si minus illa subtili definitione, at hac vulgari opinione ars esse videatur. Sed sive est ars, sive artis quaedam similitudo, non est ea quidem negligenda... Verum ego 5 hanc vim intelligo esse in praeceptis omnibus, non ut ea secuti oratores eloquentiae laudem sint adepti, sed, quae sua sponte homines eloquentes facerent, ea quosdam observasse, atque id egisse; sic esse non eloquentiam ex artificio, sed artificium ex eloquentia natum; quod tamen, ut ante dixi, non ejicio; est enim, etiam si minus necessarium ad bene dicendum, tamen ad cognoscendum non illiberale. Et exercitatio quaedam suscipienda vobis est; quamquam vos quidem jam pridem estis in cursu: sed iis, qui ingrediuntur in stadium, quique ea,

quae agenda sunt in foro tamquam in acie, possunt etiam nunc exercitatione quasi ludicra praediscere
6 ac meditari. . . Sentio, naturam primum atque ingenium ad dicendum vim afferre maximam. . . Nam et animi atque ingenii celeres quidam motus esse debent, qui et ad excogitandum acuti, et ad explicandum ornandumque sint uberes, et ad memoriam firmi atque diuturni; et si quis est, qui haec putet arte accipi posse, . . . quid de illis dicet, quae certe cum ipso homine nascuntur, linguae solutio, vocis sonus, latera, vires, conformatio quaedam et figura totius oris et corporis? Neque haec ita dico, ut ars aliquos limare non possit—neque enim ignoro, et quae bona sint, fieri meliora posse doctrina, et quae non optima, aliquo modo acui tamen et corrigi posse—, sed sunt quidam aut ita lingua haesitantes, aut ita voce absoni, aut ita vultu motuque corporis vasti atque agrestes, ut, etiamsi ingeniosis atque arte valeant, tamen in oratorum numerum venire non possint. Sunt autem quidam ita in eisdem rebus habiles, ita naturae muneribus ornati, ut non nati, sed ab aliquo deo facti esse videantur. Magnum quoddam est onus atque munus, suscipere atque profiteri se esse, omnibus silentibus, unum maximis de rebus magno in conventu hominum audiendum. . . Neque haec in eam sententiam dispiuto, ut homines adolescentes, si quid naturale forte non habeant, omnino a dicendi studio deter-
7 ream. . . Sed quia de oratore quaerimus, fingendus est nobis oratione nostra detractis omnibus vitiis orator, atque omni laude cumulatus. . . Ego scripsi etiam illud, disertos cognosse me nonnullos, eloquentem adhuc neminem; quod eum statuebam disertum, qui posset satis acute atque dilucide

apud mediocres homines ex communi quadam opinione hominum dicere; eloquentem vero, qui mirabilius et magnificentius augere posset atque ornare quae vellet, omnesque omnium rerum, quae ad dicendum pertinerent, fontes animo ac memoria contineret... Si quis universam et propriam oratoris vim definire complectique vult, is orator erit mea sententia hoc tam gravi dignus nomine, qui, quaecumque res inciderit, quae sit dictione explicanda, prudenter et composite et ornate et memoriter dicet, cum quadam actionis etiam dignitate... Non enim causidicum nescio quem, neque declamatorem aut rabulam, hoc sermone nostro conquerimus, sed eum virum, qui primum sit ejus artis antistes, cuius quum ipsa natura magnam homini facultatem daret, tamen dedisse deus putatur, ut ipsum, quod erat hominis proprium, non partum per nos, sed divinitus ad nos delatum videretur; deinde, qui possit, non tam caduceo quam nomine oratoris ornatus, incolumis vel inter hostium tela versari; tum, qui scelus fraudemque nocentis possit dicendo subjicere odio civium, suppicioque constringere; idemque ingenii praesidio innocentiam judiciorum poena liberare; idemque languentem labentemque populum aut ad decus excitare, aut ab errore deducere, aut inflammare in improbos, aut incitatum in bonos mitigare; qui denique, quemcumque in animis hominum motum res et causa postulet, eum dicendo vel excitare possit vel sedare.

Neque vero mihi quidquam praestabilius videtur, 9 quam posse dicendo tenere hominum coetus, mentes allicere, voluntates impellere quo velit, unde autem velit deducere... Quid enim est aut tam admirabile, quam ex infinita multitudine hominum exsistere

unum, qui id, quod omnibus natura sit datum, vel solus vel cum paucis facere possit? aut tam jucundum cognitu atque auditu, quam sapientibus sententiis gravibusque verbis ornata oratio et polita? aut tam potens tamque magnificum, quam populi motus, judicium religiones, senatus gravitatem unius oratione converti? Quid tam porro regium, tam liberale, tam munificum, quam opem ferre supplicibus, excitare afflictos, dare salutem, liberare periculis, retinere homines in civitate? Quid autem tam necessarium, quam tenere semper arma, quibus vel tectus ipse esse possis, vel provocare improbos, vel te ulcisci laccessitus?.. Quid esse potest aut jucundius aut magis proprium humanitatis, quam sermo facetus ac nulla in re rudis? Hoc enim uno praestamus vel maxime feris, quod colloquimur inter nos, et quod exprimere dicendo sensa possumus. Quamobrem quis hoc non jure miretur, summeque in eo elaborandum esse arbitretur, ut, quo uno homines maxime bestiis praestent, in hoc hominibus ipsis antecellat?.. Nunc hoc propono, quod mihi persuasi, quamvis ars non sit, tamen nihil esse perfecto oratore praeclarus. Nam, ut usum dicendi omittam, qui in omni pacata et libera civitate dominatur, tanta oblectatio est in ipsa facultate dicendi, ut nihil hominum aut auribus aut mentibus jucundius percipi possit. Qui enim cantus moderata oratione dulcior inveniri potest? quod carmen artificiosa verborum conclusione aptius? qui actor imitanda, quam orator suscipienda veritate jucundior? Quid autem subtilius quam crebrae acutaeque sententiae? quid admirabilius quam res splendore illustrata verborum? quid plenius quam omni genere rerum cumulata oratio?

Neque ulla non propria oratoris res est, quae quidem ornatae dici graviterque debet. Hujus est in dando consilio de maximis rebus cum dignitate explicata sententia; ejusdem et languentis populi incitatio, et effrenati moderatio; eadem facultate et fraus hominum ad perniciem, et integritas ad salutem vocatur. Quis cohortari ad virtutem ardentius, quis a vitiis acrius revocare, quis vituperare improbos asperius, quis laudare bonos ornatius, quis cupiditatem vehementius frangere accusando potest? quis maerorem levare mitius consolando? Historia vero testis temporum, lux veritatis, vita memoriae, magistra vitae, nuntia vetustatis, qua voce alia nisi oratoris immortalitati commendatur?.. Ut enim hominis decus ingenium, sic ingenii ipsius lumen est eloquentia, qua virum excellentem praecclare tum illi homines florrem populi esse dixerunt.

Majus est hoc quiddam, quam homines opinantur, et pluribus ex artibus studiisque collectum...
Est enim et scientia comprehendenda rerum plurimarum, sine qua verborum volubilitas inanis atque irridenda est; et ipsa oratio conformanda, non solum electione, sed etiam constructione verborum; et omnes animorum motus, quos hominum generi rerum natura tribuit, penitus pernoscendi, quod omnis vis ratioque dicendi in eorum, qui audiunt, mentibus aut sedandis aut excitandis expromenda est. Accedat eodem oportet lepos quidam faciaeque, et eruditio libero digna, celeritasque et brevitas et respondendi et lacessendi, subtili venustate atque urbanitate conjuncta. Tenenda præterea est omnis antiquitas, exemplorumque vis; neque legum ac juris civilis scientia negligenda

est. Nam quid ego de actione ipsa plura dicam ? quae motu corporis, quae gestu, quae vultu, quae vocis conformatio[n]e ac varietate moderanda est. . . Quid dicam de thesauro rerum omnium, memoria ? quae nisi custos inventis cogitatisque rebus et verbis adhibeatur, intelligimus omnia, etiam si praeclarissima fuerint in oratore, peritura. Quamobrem mirari desinamus, quae causa sit eloquentium paucitatis, quum ex iis rebus universis eloquentia constet, in quibus singulis elaborare permagnum est, hortemurque potius liberos nostros caeterosque, quorum gloria nobis et dignitas cara est, ut
13 animo rei magnitudinem complectantur. . . Satis est in caeteris artificiis percipiendis tantummodo similem esse hominis, et id, quod tradatur, vel etiam inculcetur, si qui forte sit tardior, posse percipere animo, et memoria custodire. Non quaeritur mobilitas linguae, non celeritas verborum, non denique ea, quae nobis non possumus fingere, facies, vultus, sonus. In oratore autem acumen dialecticorum, sententiae philosophorum, verba prope poëtarum, memoria juris consultorum, vox tragedorum, gestus paene summorum actorum est requirendus. . . Acuto homine nobis opus est et natura usque callido, qui sagaciter p[er]vestiget, quid sui cives iique homines, quibus aliquid dicendo persuadere velit, cogitent, sentiant, opinentur, expectent. Teneat oportet venas cujusque generis, aetatis, ordinis, et eorum, apud quos aliquid aget
14 aut erit acturus, mentes sensusque degustet. . . In causarum contentionibus magnum est quoddam opus, atque haud sciā an de humanis operibus longe maximum : in quibus vis oratoris plerumque ab imperitis exitu et victoria judicatur ; ubi adest

armatus adversarius, qui sit et feriendus et repellendus; ubi saepe is, qui rei dominus futurus est, alienus atque iratus, aut etiam amicus adversario et inimicus tibi est; quum aut docendus is est aut dedocendus, aut reprimendus aut incitandus, aut omni ratione ad tempus, ad causam oratione moderandus; in quo saepe benevolentia ad odium, odium autem ad benevolentiam deducendum est; aut tamquam machinatione aliqua tum ad severitatem, tum ad remissionem animi, tum ad tristitiam, tum ad laetitiam est contorquendus: omnium sententiarum gravitate, omnium verborum ponderibus est utendum; accedat oportet actio varia, vehe mens, plena animi, plena spiritus, plena doloris, plena veritatis. In his operibus si quis illam artem comprehenderit, ut tamquam Phidias Minervae signum efficere possit, non sane, quemadmodum in clipeo idem artifex, ut minora illa opera facere dis cat, laborabit. . . Dicere bene nemo potest, nisi qui 15 prudenter intelligit. Quare qui eloquentiae verae dat operam, dat prudentiae. . . Hoc vero sine ulla dubitatione confirmaverim, sive illa arte pariatur aliqua sive exercitatione quadam sive natura, rem unam esse omnium difficillimam.

Id si est difficile nobis, quod ante, quam ad dis cendum ingressi sumus, obruimur ambitione et foro, sit tamen in re positum atque natura. . . Mag num opus omnino et arduum conamur; sed nihil difficile amanti puto. . . Quare non est cur eorum, qui se studio eloquentiae dediderunt, spes infringatur, aut languescat industria. Nam neque illud ipsum, quod est optimum, desperandum est, et in praestantibus rebus magna sunt ea, quae sunt optimis proxima. . . Prima sequentem honestum est in 16
17

secundis tertiusque consistere. Nam in poëtis non Homero soli locus est, ut de Graecis loquar, aut Archilochi aut Sophocli aut Pindaro, sed horum vel secundis vel etiam infra secundos: nec vero Aristotelem in philosophia deterruit a scribendo amplitudo Platonis, nec ipse Aristoteles admirabili quadam scientia et copia caeterorum studia restinxit.

- 18 Quum ad inveniendum in dicendo tria sint: acumen, deinde ratio, quam licet, si volumus, appellemus artem, tertium diligentia; non possum equidem non ingenio primas concedere; sed tamen ipsum ingenium diligentia etiam ex tarditate incitat. . . Haec praecipue colenda est nobis, haec semper adhibenda, haec nihil est quod non assequatur. . . Ars demonstrat tantum, ubi quaeras, atque ubi sit illud, quod studeas invenire; reliqua sunt in cura, attentione animi, cogitatione, vigilantia, assiduitate, labore; complectar uno verbo, quo saepe jam usi sumus, diligentia; qua una virtute
 19 omnes virtutes reliquae continentur. . . Fortasse caeteri tectiores; ego semper me didicisse prae
 20 me tuli. . . Diligentissime hoc est eis, qui instituunt aliquos atque erudiunt, videndum, quo sua quemque natura maxime ferre videatur. . . Ego tibi oratorem sic jam instituam, si potero, ut, quid efficere possit, ante perspiciam. Sit enim mihi tinctus litteris; audierit aliquid, legerit, ista ipsa praecepta acceperit; tentabo quid deceat, quid voce, quid viribus, quid spiritu, quid lingua efficere possit. Si intelligam posse ad summos pervenire, non solum hortabor, ut elaboret, sed etiam, si vir quoque bonus mihi videbitur esse, obsecrabo. Tantum ego in excellente oratore, et eodem bono viro,

pono esse ornamenti universae civitati... Qui sit ²² autem oratori memoriae fructus, quanta utilitas, quanta vis, quid me attinet dicere? Tenere, quae didiceris in accipienda causa, quae ipse cogitaris? omnes fixas esse in animo sententias? omnem descriptum verborum apparatus? ita audire vel eum, unde discas, vel eum, cui respondendum sit, ut illi non infundere in aures tuas orationem, sed in animo videantur inscribere? Itaque soli, qui memoria vigent, sciunt quid et quatenus et quomodo dicturi sint, quid responderint, quid superpetit; iidemque multa ex aliis causis aliquando a se acta, multa ab aliis audita meminerunt.

Illius perfecti oratoris et summae eloquentiae ²³ species exprimenda est; quem hoc uno excellere, id est, oratione, caetera in eo latere, indicat nomen ipsum. Non enim inventor aut compositor aut actor haec complexus est omnia, sed et Graece ab eloquendo ῥήτωρ et Latine eloquens dictus est. Caeterarum enim rerum, quae sunt in oratore, partem aliquam sibi quisque vindicat; dicendi autem, id est, eloquendi, maxima vis soli huic conceditur... Erit eloquens is, qui in foro causisque civilibus ita dicet, ut probet, ut delectet, ut flectat. Probare necessitatis est, delectare suavitatis, flectere victoriae: nam id unum ex omnibus ad obtinendas causas potest plurimum. Sed quot officia oratoris, tot sunt genera dicendi: subtile in probando, modicum in delectando, vehemens in flectendo; in quo uno vis omnis oratoris est... Hujus eloquentiae est tractare animos, hujus omni modo permovere. Haec modo perfringit, modo irrepit in sensus; inserit novas opiniones, evellit insitas... Ego neque illis assentiebar, neque harum disputa- ²⁴

tionum inventori et principi longe omnium in dicendo gravissimo et eloquentissimo, Platonis, cuius tum Athenis diligentius legi Gorgiam; quo in libro hoc maxime admirabar Platonem, quod mihi in oratoribus irridendis ipse esse orator summus videbatur. Verbi enim controversia jam diu tortuet Graeculos homines, contentionis cupidiores quam veritatis. Nam si quis hunc statuit esse oratorem, qui tantummodo in jure et in judiciis possit aut apud populum aut in senatu copiose loqui, tamen huic ipsi multa tribuat et concedat necesse est. Neque enim sine multa pertractatione omnium rerum publicarum, neque sine legum, morum, juris scientia, neque natura hominum incognita ac moribus, in his ipsis rebus satis callide versari et perite potest. . . Dicendi enim virtus, nisi ei, qui dicet, ea, de quibus dicet, percepta sint; exstare non potest.

- 25 Est finitimus oratori poëta, numeris astrictrior paulo, verborum autem licentia liberior, multis vero ornandi generibus socius ac paene par; in hoc quidem certe prope idem, nullis ut terminis circumscribat aut definiat jus suum, quo minus ei licet eadem illa facultate et copia vagari qua velit. . . Illud est probabilius, neque tamen verum, quod Socrates dicere solebat, omnes in eo, quod scirent, satis esse eloquentes; illud verius, neque quemquam in eo disertum esse posse, quod nesciat, neque, si optime sciat, ignarusque sit faciundae ac poliendae orationis, diserte id ipsum, de quo sciat, posse dicere. . . Sentio neminem esse in oratorum numero habendum, qui non sit omnibus iis artibus, 26 quae sunt libero dignae, perpolitus. . . Nihil de religione, nihil de morte, nihil de pietate, nihil de caritate patriae, nihil de bonis rebus aut malis,

nihil de virtutibus aut vitiis, nihil de officio, nihil de dolore, nihil de voluptate, nihil de perturbationibus animi et erroribus, quae saepe cadunt in causas, sed jejunius aguntur, nihil, inquam, sine ea scientia, quam dixi, graviter, ample, copiose dici et explicari potest.

Nihil est aliud eloquentia nisi copiose loquens 27 sapientia. . . . Positum sit in primis, sine philosophia non posse effici, quem quaerimus, eloquentem. . . Nec vero sine philosophorum disciplina genus et speciem cujusque rei cernere, neque eam definiendo explicare, nec tribuere in partes possumus, nec judicare quae vera, quae falsa sint, neque cernere consequentia, repugnantia videre, ambigua distinguere. . . Si me audiet, quoniam philosophia 28 in tres partes est distributa, in naturae obscuritatem, in disserendi subtilitatem, in vitam atque mores, duo illa relinquamus, atque largiamur inertiae nostrae; tertium vero, quod semper oratoris fuit, nisi tenebimus, nihil oratori, in quo magnus esse possit, relinquemus. Quare hic locus de vita et moribus totus est oratori perdiscendus; caetera si non didicerit, tamen poterit, si quando opus erit, ornare dicendo, si modo ad eum erunt delata et ei tradita. . . Esse perfecte eloquentis puto non eam 30 solum facultatem habere, quae sit ejus propria, fuse lateque dicendi, sed etiam vicinam ejus atque finitimam dialecticorum scientiam assumere. Quamquam aliud videtur oratio esse, aliud disputatio, nec idem loqui esse quod dicere. Ac tamen utrumque in disserendo est. Disputandi ratio et loquendi dialecticorum sit, oratorum autem dicendi et ornandi. Zeno quidem ille, a quo disciplina Stoicorum est, manu demonstrare solebat quid in-

ter has artes interesset. Nam quum compresserat
digitos pugnumque fecerat, dialecticam aiebat
ejusmodi esse; quum autem diduxerat et manum
dilataverat, palmae illius similem eloquentiam esse
31 dicebat... Valet multum ad vincendum, probari
mores et instituta et facta et vitam eorum, qui
agent causas... Conciliantur autem animi digni-
tate hominis, rebus gestis, existimatione vitae; quae
facilius ornari possunt, si modo sunt, quam fingi, si
nulla sunt... Facilitatis, liberalitatis, mansuetudinis,
pietatis, grati animi, non appetentis, non avidi sig-
na proferre perutile est; eaque omnia, quae pro-
borum, demissorum, non acrium, non pertinacium,
non litigiosorum, non acerborum sunt, valde be-
nevolentiam conciliant, abalienantque ab iis, in
32 quibus haec minus sunt... Oratori, quae sunt in
hominum vita, quandoquidem in ea versatur ora-
tor, atque ea est ei subjecta materies, omnia quae-
sita, audita, lecta, disputata, tractata, agitata esse de-
bent... Quo major est vis, hoc est magis probitate
jungenda summaque prudentia; quarum virtutum
expertibus si dicendi copiam tradiderimus, non eos
quidem oratores effecerimus, sed furentibus quaedam
33 arma dederimus... Mihi, etiam qui optime dicunt,
qui que id facillime atque ornatissime facere possunt,
tamen, nisi timide ad dicendum accedunt, et in exor-
dienda oratione perturbantur, paene impudentes vi-
dentur; tametsi id accidere non potest. Ut enim
quisque optime dicit, ita maxime dicendi difficulta-
tem, variosque eventus orationis, exspectationemque
hominum pertimescit. Qui vero nihil potest dignum
re, dignum nomine oratoris, dignum hominum auri-
bus efficere atque edere, is mihi, etiamsi commove-
tur in dicendo, tamen impudens videtur. Non

enim pudendo, sed non faciendo id, quod non decet, impudentiae nomen effugere debemus. Quem vero non pudet—id quod in plerisque video—, hunc ego non reprehensione solum, sed etiam poena dignum puto.

Est eloquentiae, sicut reliquarum rerum, funda- 34
mentum sapientia. Ut enim in vita, sic in oratione nihil est difficilius quam quid deceat videre. *Πρέπον* appellant hoc Graeci; nos dicamus sane de corum... Est autem quid deceat oratori videndum non in sententiis solum, sed etiam in verbis... In omnibusque rebus videndum est quatenus... Nam nec semper, nec apud omnes, nec contra omnes, nec pro omnibus, nec omnibus eodem modo dicendum arbitror. Is erit ergo eloquens, qui ad id, quodcumque decebit, poterit accommodare orationem... Quibus a natura minora data sunt, ta- 35
men illud assequi possunt, ut iis, quae habent, modece et scienter utantur, et ut ne dedebeat. Id enim est maxime vitandum, et de hoc uno minime est facile praecipere, non mihi modo, qui sicut unus paterfamilias his de rebus loquor, sed etiam ipsi illi Roscio, quem saepe audio dicere, caput esse artis decere; quod tamen unum id esse, quod tradi arte non possit... Ornamentis iisdem uti fere 36
licebit alias contentius, alias summissius; omnique in re posse quod deceat facere, artis et naturae est; scire quid quandoque deceat, prudentiae... Tum 37
ille: Ego mehercule, inquit, ex omnibus Latinis verbis hujus verbi vim vel maximam semper putavi. Quem enim nos *ineptum* vocamus, is mihi videtur ab hoc nomen habere ductum, quod non sit *aptus*, idque in sermonis nostri consuetudine perlate patet. Nam qui aut tempus quid postulet

non videt, aut plura loquitur, aut se ostentat, aut eorum, quibuscum est, vel dignitatis vel commodi rationem non habet, aut denique in aliquo genere aut inconcinnus aut multus est, is ineptus esse dicitur. Hoc vitio cumulata est eruditissima illa Graecorum natio. Itaque quod vim hujus mali Graeci non vident, ne nomen quidem ei vitio imposuerunt. Ut enim quaeras omnia, quomodo Graeci in eptum appellant, non reperies. Omnia autem ineptiarum, quae sunt innumerabiles, haud sciam annula sit major, quam, ut illi solent, quocumque in loco, quoscumque inter homines visum est, de rebus aut difficillimis aut non necessariis argutissime disputare.

- 38 Evidem probo ista, Crassus inquit, quae vos facere soletis, ut, causa aliqua posita consimili causarum earum, quae in forum deferuntur, dicatis quam maxime ad veritatem accommodate; sed plerique in hoc vocem modo, neque eam scienter, et vires exercent suas, et linguae celeritatem incitant, verborumque frequentia delectantur. In quo fallit eos, quod audierunt, dicendo homines, ut dicant, efficere solere. Vere enim etiam illud dicitur, perverse dicere homines perverse dicendo facilime consequi. Quamobrem in istis ipsis exercitationibus, etsi utile est etiam subito saepe dicere, tamen illud utilius, sumpto spatio ad cogitandum, paratus atque accuratius dicere. Caput autem est, quod, ut vere dicam, minime facimus; est enim magni laboris, quem plerique fugimus; quam plurimum scribere. Stilus optimus et praestantissimus dicendi effector ac magister; neque injuria. Nam si subitam et fortuitam orationem commentatio et cogitatio facile vincit, hanc ipsam profecto assidua

ac diligens scriptura superabit. Omnes enim, sive 39
artis sunt loci sive ingenii cujusdam ac prudentiae,
qui modo insunt in ea re, de qua scribimus, anqui-
rentibus nobis omnique acie ingenii contemplanti-
bus ostendunt se et occurrunt; omnesque senten-
tiae verbaque omnia, quae sunt cujusque generis
maxime illustria, sub acumen stili subeant et suc-
cedant necesse est; tum ipsa collocatio conforma-
tioque verborum perficitur in scribendo, non poë-
tico, sed quodam oratorio numero et modo. Haec
sunt, quae clamores et admirationes in bonis orato-
ribus efficiunt; neque ea quisquam, nisi diu mul-
tumque scriptitarit, etiamsi vehementissime se in
his subitis dictionibus exercuerit, consequetur. Et
qui a scribendi consuetudine ad dicendum venit,
hanc affert facultatem, ut, etiam subito si dicat, ta-
men illa, quae dicantur, similia scriptorum esse
videantur; atque etiam, si quando in dicendo scrip-
tum attulerit aliquid, quum ab eo discesserit, reli-
qua similis oratio consequetur. Ut concitato na-
vilio, quum remiges inhibuerunt, retinet tamen
ipsa navis motum et cursum suum, intermisso im-
petu pulsuque remorum, sic in oratione perpetua,
quum scripta deficiunt, parem tamen obtinet oratio
reliqua cursum, scriptorum similitudine et vi con-
citata. . . Eo sum usus adolescens, ut summorum 40
oratorum Graecas orationes explicarem. Quibus
lectis hoc assequebar, ut, quum ea, quae legeram
Graece, Latine redderem, non solum optimis verbis
uterer et tamen usitatis, sed etiam exprimerem
quaedam verba imitando, quae nova nostris essent,
dum modo essent idonea. Jam vocis et spiritus et
totius corporis et ipsius linguae motus et exercita-
tiones non tam artis indigent quam laboris; quibus

- in rebus habenda est ratio diligenter, quos imitemur, quorum similes velimus esse. Intuendi nobis sunt non solum oratores, sed etiam actores, ne mala consuetudine ad aliquam deformitatem pravitatemque veniamus. Exercenda est etiam memoria, ediscendis ad verbum quam plurimis et nostris scriptis et alienis. . . Educenda deinde dictio est ex hac domestica exercitatione et umbratili, medium in agmen, in pulverem, in clamorem, in castra atque in aciem forensem; subeundus visus omnium, et periclitandae vires ingenii; et illa commentatio inclusa in veritatis lucem proferenda est. Legendi etiam poëtae, cognoscendae historiae, omnium bonarum artium doctores atque scriptores legendi et pervolutandi et exercitationis causa laudandi, interpretandi, corrigendi, vituperandi, refellendi: disputationumque de omni re in contrarias partes, et, quidquid erit in quaque re, quod probabile videri possit, eliciendum atque eruendum. Perdiscendum jus civile, cognoscendae leges, percipienda omnis antiquitas, senatoria consuetudo, disciplina rei publicae, jura sociorum, foedera, pactiones, causa imperii cognoscenda est; libandus est etiam ex omni genere urbanitatis facetiarum quidam lepos, quo tamquam sale perspergatur omnis oratio.
- 42 Eram cum Stoico Diodoto, qui quum habitavisset apud me mecumque vixisset, nuper est domi meae mortuus. A quo quum in aliis rebus tum studiosissime in dialectica exercebar, quae quasi contracta et astricta eloquentia putanda est. . . Ea causa mihi in Asiam proficisciendi fuit. Itaque quum essem biennum versatus in causis, et jam in foro celebratum meum nomen esset, Roma sum profectus. Quum venissem Athenas, sex menses

cum Antiocho, veteris Academiae nobilissimo et prudentissimo philosopho, fui, studiumque philosophiae numquam intermissum, a primaque adolescentia cultum et semper auctum, hoc rursus summo auctore et doctore renovavi. Eodem tamen tempore Athenis apud Demetrium Syrum, veterem et non ignobilem dicendi magistrum, studiose exerceri solebam. Post a me Asia tota peragrata est cum summis quidem oratoribus, quibuscum exercebar, ipsis lubentibus... Quibus non contentus 43 Rhodum veni, meque ad eumdem, quem Romae audiveram, Molonem applicavi, quum actorem in veris causis scriptoremque praestantem, tum in notandis animadvertisque vitiis et instituendo docendoque prudentissimum. Is dedit operam, si modo id consequi potuit, ut nimis redundantes nos et superfluentes juvenili quadam dicendi impunitate et licentia reprimeret, et quasi extra ripas diffluentes coerceret. Ita recepi me biennio post non modo exercitatio, sed prope mutatus. Nam et contentio nimia vocis resederat, et quasi deferverat oratio, lateribusque vires, et corpori mediocris habitus accesserat... Nos autem non desistebamus quum omni genere exercitationis, tum maxime stilo, nostrum illud, quod erat, augere, quantumcumque erat.

Omnis loquendi elegantia, quamquam expolitur 44 scientia litterarum, tamen augetur legendis oratoribus et poëtis. Sunt enim illi veteres, qui ornare nondum poterant ea, quae dicebant, omnes prope praeclare locuti; quorum sermone assuefacti qui erunt, ne cupientes quidem poterunt loqui, nisi Latine... Videlisne, quantum munus sit oratoris historia? Haud scio an flumine orationis et varietate 45

maximum. . . Quis nescit primam esse historiae legem, ne quid falsi dicere audeat? deinde ne quid veri non audeat? ne quae suspicio gratiae sit in scribendo? ne quae simultatis? . . . Verborum autem ratio et genus orationis fusum atque tractum, et cum lenitate quadam aequabili profluens, sine hac judiciali asperitate, et sine sententiarum forensibus aculeis, persequendum est. . . Cognoscat etiam rerum gestarum et memoriae veteris ordinem, maxime scilicet nostrae civitatis, sed etiam imperiosorum populorum et regum illustrium. . . Nescire autem quid ante quam natus sis acciderit, id est semper esse puerum. Quid enim est actas hominis, nisi memoria rerum veterum cum superiorum aetate contexitur? Commemoratio autem antiquitatis exemplorumque prolatio summa cum delectatione et auctoritatem orationi affert et fidem. . . Et Herodotum illum, qui princeps genus hoc ornavit, in causis nihil omnino versatum esse accepimus. Atqui tanta est eloquentia, ut me quidem, quantum ego Graece scripta intelligere possum, magno opere delectet. Et post illum Thucydides omnes dicendi artificio mea sententia facile vicit; qui ita creber est rerum frequentia, ut verborum prope numerum sententiarum numero consequatur; ita porro verbis est aptus et pressus, ut nescias, utrum res oratione an verba sententiis illustrentur. Atqui ne hunc quidem, quamquam est in re publica versatus, ex numero accepimus eorum, qui causas dictitarunt; et hos ipsos libros tum scripsisse dicitur, quum a re publica remotus atque, id quod optimo cuique Athenis accidere solitum est, in exsilio pulsus esset. . . Quo magis sunt Herodotus Thucydidesque mirabiles. . . Alter enim sine ullis salebris

46

47

48

quasi sedatus amnis fluit, alter incitatiō fertur, et de bellicis rebus canit etiam quodammodo bellum; primisque ab his, ut ait Theophrastus, historia commota est, ut auderet uberior quam superiores et ornatius dicere... Thucydides rerum gestarum pronuntiator sincerus et grandis etiam fuit; hoc forense, concertatorium, judiciale non tractavit genus. Orationes autem, quas interposuit—multae enim sunt—, eas ego laudare soleo; imitari neque possim, si velim, nec velim fortasse, si possim... Sed exoritur Thucydides. Ejus enim quidam eloquentiam admirantur. Id quidem recte; sed nihil ad eum oratorem, quem quaerimus. Aliud est enim explicare res gestas narrando, aliud argumentando criminari crimenve dissolvere; aliud narratione tenere auditorem, aliud concitare. At loquitur pulcre. Num melius quam Plato? Necesse est tamen oratori, quem quaerimus, controversias explicare forenses dicendi genere apto ad docendum, ad delectandum, ad permovendum... Quis uberior in dicendo Platone? Jovem sic aiunt philosophi, si Graece loquatur, loqui. Quis Aristotele nervousior, Theophrasto dulcior? Lectavisse Platonem studiose, audivisse etiam Demosthenes dicitur: idque appetet ex genere et granditate verborum. Dicit etiam in quadam epistola hoc ipse de sese... Quamquam et philosophi quidam ornate locuti sunt,—siquidem et Theophrastus divinitate loquendi nomen invenit, et Aristoteles Isocratem ipsum lacescivit, et Xenophontis voce Musas quasi locutas ferunt, et longe omnium, qui cunque scripserunt aut locuti sunt, exstitit et gravitate et suavitate princeps Plato—; tamen horum oratio neque nervos neque aculeos oratorios ac forenses habet.

- 53 Nec dubito quin habuerit vim magnam semper oratio. Neque enim jam Troicis temporibus tantum laudis in dicendo Ulixii tribuisset Homerus, et Nestori, quorum alterum vim habere voluit, alterum suavitatem, nisi jam tum esset honos eloquentiae; neque ipse poëta hic tam idem ornatus in dicendo ac plane orator fuisset. . . Post hanc aetatem Themistocles fuit, quem constat quum prudentia tum etiam eloquentia praestitissem; post Pericles, qui quum floreret omni genere virtutis, hac tamen fuit laude clarissimus. . . Hujus suavitate maxime hilaratae Athenae sunt: hujus ubertatem et copiam admiratae, ejusdem vim dicendi terroremque timuerunt. . . Huic aetati suppares Alcibiades, Critias, Theramenes. . . Grandes erant verbis, crebri sententiis, compressione rerum breves, et ob eam ipsam causam interdum subobscuri. . . Brevitas autem laus est interdum in aliqua parte dicendi, in universa eloquentia laudem non habet.
- 54 . . Ut intellectum est quantam vim haberet accurata et facta quodam modo cratio, tum etiam magistri dicendi multi subito exstiterunt. Tum Leoninus Gorgias aliique multi temporibus eisdem docere se profitebantur, arrogantibus sane verbis, quemadmodum causa inferior—ita enim loquebantur—dicendo fieri superior posset. His opposuit sese Socrates, qui subtilitate quadam disputandi refellere eorum instituta solebat verbis. Hujus ex uberrimis sermonibus exstiterunt doctissimi viri; primumque tum philosophia, non illa de natura, quae fuerat antiquior, sed haec, in qua de bonis rebus et malis, deque hominum vita et moribus disputatur, inventa dicitur. . . Exstitit igitur jam senibus illis, quos paullo ante diximus, Isocrates, cuius

domus cunctae Graeciae quasi ludus quidam patuit,
atque officina dicendi ; magnus orator et perfectus
magister, quamquam forensi luce caruit, intraque
parietes aluit eam gloriam, quam nemo meo quidem
judicio est postea consecutus. Is et ipse scripsit
multa p̄aeclare, et docuit alios ; et quum caetera
melius quam superiores, tum primus intellexit
etiam in soluta oratione, dum versum effugeres,
modum tamen et numerum quemdam oportere ser-
vari. . . Demosthenes quidem nihil Lysiae subtil-
itate cedit, nihil argutiis et acumine Hyperidi, nihil
levitate Aeschini et splendore verborum. Multae
sunt ejus totae orationes subtile, ut contra Lepti-
nem ; multae totae graves, ut quaedam Philip-
picæ ; multae variae, ut contra Aeschinem falsae
legationis, ut contra eumdem pro causa Ctesi-
phantis. . . Hoc nec gravior exstitit quisquam,
nec callidior, nec temperatior. . . Demosthenes non
tam dicax fuit, quam facetus. Est autem illud
acrioris ingenii, hoc majoris artis. . . Imitetur illum,
cui sine dubio summa vis dicendi conceditur,
Atheniensem Demosthenem, in quo tantum stu-
dium fuisse tantusque labor dicitur, ut primum
impedimenta naturae diligentia industriaque su-
peraret ; quumque ita balbus esset, ut ejus ipsius
artis, cui studeret, primam litteram non posset di-
cere, perfecit meditando, ut nemo planius esse lo-
cutus putaretur ; deinde quum spiritus ejus esset
angustior, tantum continenda anima in dicendo est
assecutus, ut una continuatione verborum, id quod
ejus scripta declarant, binae ei contentiones vocis
et remissiones continerentur ; qui etiam, ut me-
moriae proditum est, conjectis in os calculis, sum-
ma voce versus multos uno spiritu pronuntiare

55

56

consuescebat; neque is consistens in loco, sed inambulans, atque ascensu ingrediens arduo.

- 57 Ser. Galba eloquentia praestitit; et nimis is princeps ex Latinis illa oratorum propria et quasi legitima opera tractavit. . . Utinam in Ti. Graccho Caioque Carbone talis mens ad rem publicam bene gerendam fuisse, quale ingenium ad bene dicendum fuit: profecto nemo his viris gloria praestitisset. . . Ecce vir et praestantissimo ingenio, et flagranti studio, et doctus a puero, C. Gracchus. Noli enim putare quemquam pleniorum aut uberiorem ad dicendum fuisse. . . Damnum enim, illius immaturo interitu, res Romanae Latinaeque litterae fecerunt. Utinam non tam fratri pietatem quam patriae praestare voluisse! Quam ille facile tali ingenio, diutius si vixisset, vel paternam esset vel avitam gloriam consecutus! Eloquentia quidem nescio an habuisse parem neminem. Grandis est verbis, sapiens sententiis, genere toto gravis. . . Legimus epistolas Corneliae, matris Gracchorum: apparet, filios non tam in gremio educatos, quam in sermone matris. . . Nunc ad Antonium Crassumque pervenimus. Nam ego sic existimo, hos oratores fuisse maximos, et in his primum cum Graecorum gloria Latine dicendi copiam aequatam. . . Evidem quamquam Antonio tantum tribuo, tamen Crasso nihil statuo fieri potuisse perfectius. . . Crassus erat elegantium parcissimus, Scaevola parcorum elegantissimus: Crassus in summa comitate habebat etiam severitatis satis, Scaevolae multa in severitate non deerat tamen comitas. . . Paratus igitur veniebat Crassus, exspectabatur, audiebatur; a principio statim, quod erat apud eum semper accuratum, exspectatione dignus videbatur; non

multa jactatio corporis, non inclinatio vocis, nulla inambulatio, non crebra supplosio pedis; vehemens et interdum irata et plena justi doloris oratio, multae et cum gravitate facetiae; quodque difficile est, idem et perornatus et perbrevis. . . Et vero fuit in hoc etiam popularis dictio excellens: Antonii genus dicendi multo aptius judiciis quam contionibus. . .

Dicebat melius quam scripsit Hortensius. . . Hortensius 59 igitur quum admodum adolescens orsus 60 esset in foro dicere, celeriter ad majores causas adhiberi coepitus est; quamquam inciderat in Cottae et Sulpicci aetatem, qui annis decem majores erant, excellente tum Crasso et Antonio, dein Philippo, post Julio, cum his ipsis dicendi gloria comparabatur. Primum memoria tanta, quantam in nullo cognovisse me arbitror, ut quae secum commentatus esset, ea sine scripto verbis eisdem redderet, quibus cogitavisset. Hoc adjumento ille tanto sic utebatur, ut sua et commentata et scripta, et, nullo referente, omnia adversariorum dicta meminisset. Ardebat autem cupiditate sic, ut in nullo umquam flagrantius studium viderim. . . Meus autem aequalis Cn. Pompeius, vir ad omnia summa natus, majorem dicendi gloriam habuisset, nisi eum majoris gloriae cupiditas ad bellicas laudes abstraxisset. Erat oratione satis amplus, rem prudenter videbat; actio vero ejus habebat, et in voce magnum splendorem, et in motu summam dignitatem. . . De Caesare et ipse ita judico, 61 et de hoc hujus generis acerrimo existimatore saepissime audio, illum omnium fere oratorum Latine loqui elegantissime; nec id solum domestica consuetudine, sed multis litteris, et iis quidem reconditis et exquisitis, summoque studio et dili-

gentia est consecutus. . . Itaque quum ad hanc elegantiam verborum Latinorum, quae, etiam si orator non sis et sis ingenuus civis Romanus, tamen necessaria est, adjungit illa oratoria ornamenta dicendi, tum videtur tamquam tabulas bene pictas collocare in bono lumine. . . Splendidam quamdam minimeque veterotoriam rationem dicendi tenet, voce, motu, forma etiam magnificam et generosam quodammodo. . . Atque etiam commentarios quosdam scripsit rerum suarum, valde quidem probandos; nudi enim sunt, recti et venusti, omni ornatu orationis tamquam veste detracta. Sed dum voluit alios habere parata, unde sumerent qui vellent scribere historiam, ineptis gratum fortasse fecit, qui volent illa calamistris inurere: sanos quidem homines a scribendo deterruit. Nihil est enim in historia pura et illustri brevitate dulcius.

- 62 Genera autem Asiaticaे dictionis duo sunt: unum sententiosum et argutum, sententiis non tam gravibus et severis quam concinnis et venustis. . . Aliud autem genus est non tam sententiis frequentatum, quam verbis volucre atque incitatum, quali est nunc Asia tota, nec flumine solum orationis, sed etiam exornato et faceto genere verborum. . . Haec autem genera dicendi aptiora sunt adolescentibus, in senibus gravitatem non habent. . . Atticos, inquit, volo imitari.—Quos? nec enim est unum genus. Nam quid est tam dissimile quam Demosthenes et Lysias? quam iidem et Hyperides? quam horum omnium Aeschines? Quem igitur imitaris? Si aliquem, caeteri ergo Attice non dicebant: si omnes, qui potes, quum sint ipsi dissimillimi inter se? . . . Volo hoc oratori contingat, ut, quum audi-

tum sit eum esse dicturum, locus in subselliis occuperetur, compleatur tribunal, gratiosi scribae sint in dando et cedendo loco, corona multiplex, judex erectus; quum surgat is, qui dicturus sit, significetur a corona silentium, deinde crebrae assensiones, multae admirationes; risus, quum velit, quum velit, fletus: ut, qui haec procul videat, etiamsi quid agatur nesciat, at placere tamen et in scaena esse Roscium intelligat. Haec cui contingent, eum scito Attice dicere, ut de Pericle audimus, ut de Hyperide, ut de Aeschine, de ipso quidem Demosthene maxime... Quoniam ergo oratorum bonorum—hos enim quaerimus—duo genera sunt, unum attenuate presseque, alterum sublate ampleque decentium: etsi id melius est, quod splendidius et magnificentius, tamen in bonis omnia, quae summa sunt, jure laudantur. Sed cavenda est presso illi oratori inopia et jejunitas, amplo autem inflatum et corruptum orationis genus... Haec in senatu minore apparatu agenda sunt; sapiens enim est consilium, multisque aliis dicendi relinquendus locus; vitanda etiam ingenii ostentationis suspicio. Contio capit omnem vim orationis et gravitatem varietatemque desiderat... Ad consilium autem de re publica dandum, caput est, nosse rem publicam; ad dicendum vero probabiliter, nosse mores civitatis, qui quia crebro mutantur, genus quoque orationis est saepe mutandum. Et quamquam una fere vis est eloquentiae, tamen quia summa dignitas est populi, gravissima causa rei publicae, maxi motus multitudinis, genus quoque dicendi grandius quoddam et illustrius esse adhibendum videtur... Et quoniam non ad veritatem solum, sed etiam ad opiniones eorum, qui audiunt, accommo-

64

65

66

- danda est oratio, hoc primum intelligamus, hominum esse duo genera; alterum indoctum et agreste, quod anteferat semper utilitatem honestati; alterum humanum et expolitum, quod rebus omnibus dignitatem anteponat. Itaque huic generi laus, honos, gloria, fides, justitia omnisque virtus, illi autem alteri quaestus, emolumentum fructusque proponitur... Necessae est, qui ita dicat, ut a multitudine probetur, eumdem doctis probari... Id enim ipsum est summi oratoris, summum oratorem populo videri... Delectatur audiens multitudo, et ducitur oratione, et quasi voluptate quadam perfunditur.
- 68 Hoc ei primum praecipiems, quascumque causas erit tractaturus, ut eas diligenter penitusque cognoscat... Nonnulli, dum operam suam multam existimari volunt, ut toto foro volitare et a causa ad causam ire videantur, causas dicunt incognitas. In quo est illa quidem magna offensio, vel negligentiae, susceptis rebus, vel perfidiae, receptis; sed etiam illa major opinione, quod nemo potest de ea re, quam non novit, non turpissime dicere... Evidem soleo dare operam, ut de sua quisque rem ipse doceat, et ut ne quis alius adsit, quo liberius loquatur, et agere adversarii causam, ut ille agat suam, et quidquid de sua re cogitarit, in medium proferat. Itaque quum ille discessit, tres personas unus sustineo summa animi aequitate, meam, adversarii, judicis... Ita assequor, ut alio tempore cogitem quid dicam, et alio dicam; quae duo plerique ingenio freti simul faciunt. Sed certe eidem illi melius aliquanto dicent, si aliud sumendum sibi tempus ad cogitandum, aliud ad dicendum putarent... Quum igitur, accepto causae genere
- 69

et cognito, rem tractare coepi, nihil prius constituo, quam quid sit illud, quo mihi sit referenda omnis illa oratio, quae sit propria quaestio[n]is et judicii; deinde illa duo diligentissime considero, quorum alterum commendationem habet nostram, aut eorum quos defendimus; alterum est accommodatum ad eorum animos, apud quos dicimus, ad id, quod volumus, commovendos. Ita omnis ratio dicendi tribus ad persuadendum rebus est nixa: ut probemus vera esse, quae defendimus; ut conciliemus eos nobis, qui audiunt; ut animos eorum, ad quemcumque causa postulabit motum, voemus... Meae totius orationis tres sunt rationes: una conciliandorum hominum, altera docendorum, tertia concitandorum. Harum trium partium prima lenitatem orationis, secunda acumen, tertia vim desiderat.

Principio, id quod est homine ingenuo liberaliterque educato dignum, non negabo me ista omnium communia et contrita praecepta didicisse: primum, oratoris officium esse dicere ad persuadendum accommodate; deinde, esse omnem orationem aut de infinitae rei quaestione, sine designatione personarum et temporum, aut de re certis in personis ac temporibus locata... Quumque esset omnis oratoris vis ac facultas in quinque partes distributa, ut deberet reperire primum quid dicere, deinde inventa non solum ordine, sed etiam momento quodam ac judicio dispensare atque componere; tum ea denique vestire atque ornare oratione; post memoria saepire; ad extremum agere cum dignitate ac venustate. Etiam illa cognoram at acceperam, ante quam de re diceremus, initio conciliandos eorum esse animos, qui audi-

rent; deinde rem demonstrandam; postea controversiam constituendam; tum id, quod nos intendemus, confirmandum; post, quae contra dicerentur, refellenda; extrema autem oratione ea, quae pro nobis essent, amplificanda et augenda, quaeque essent pro adversariis, infirmando atque frangenda.

- 71 ... Quid jam sequitur, quod quidem artis sit, nisi ordiri orationem, in quo aut concilietur auditor, aut erigatur, aut paret se ad discendum; rem breviter exponere et probabiliter et aperte, ut quid agatur intelligi possit; sua confirmare, adversaria evertere, eaque efficere non perturbate, sed singulis argumentationibus ita concludendis, ut efficiatur quod sit consequens iis, quae sumentur ad quamque rem confirmandam; post omnia perorationem inflammantem restinguenter concludere? Has partes quemadmodum tractet singulas, difficile dictu est hoc loco; nec enim semper tractantur
 72 uno modo... Quid? orationis quot sunt partes? Quattuor. Earum duae valent ad rem docendam, narratio et confirmatio; ad pellendos animos duae,
 73 principium et peroratio... Ut aliquid ante rem dicamus, deinde ut rem exponamus, post ut eam probemus nostris praesidiis confirmandis, contrariis refutandis, deinde ut concludamus atque ita peroremus, hoc dicendi natura ipsa praescribit. Ut vero statuamus, ea, quae probandi et docendi causa dicenda sunt, quemadmodum componamus, id est vel maxime proprium oratoris prudentiae... Quoniam tribus rebus homines ad nostram sententiam perducimus, aut docendo, aut conciliando, aut permovendo, una ex tribus his rebus res prae nobis est ferenda, ut nihil aliud nisi docere velle videamur; reliquae duae, sicuti sanguis in

corporibus, sic illae in perpetuis orationibus fusae esse debebunt. Nam et principia, et caeterae partes orationis, habere hanc vim magno opere debent, ut ad eorum mentes, apud quos agetur, movendas permanare possint. Sed his partibus orationis, quae, etsi nihil docent argumentando, persuadendo tamen et commovendo proficiunt plurimum, quamquam maxime proprius est locus et in exordiendo et in perorando, digredi tamen ab eo, quod proposueris atque agas, permovendorum animorum causa, saepe utile est.

Hisce omnibus rebus consideratis, tum denique 74 id, quod primum est dicendum, postremum soleo cogitare, quo utar exordio. Nam si quando id primum invenire volui, nullum mihi occurrit, nisi aut exile, aut nugatorium, aut vulgare aut commune. Principia autem dicendi semper quum accurata et acuta et instructa sententiis, apta verbis, tum vero causarum propria esse debent. Prima est enim quasi cognitio et commendatio orationis in principio, quae continuo eum, qui audit, permulgere atque allicere debet. . . Nec est dubium, quin exordium dicendi vehemens et pugnax non saepe esse debeat; sed si in ipso illo gladiatorio vitae certamine, quo ferro decernitur, tamen ante congressum multa fiunt, quae non ad vulnus, sed ad speciem valere videantur, quanto hoc magis in oratione est spectandum, in qua non vis potius quam delectatio postulatur! Nihil est denique in natura rerum omnium, quod se universum profundat, et quod totum repente evolvat. Sic omnia, quae fiunt quaeque aguntur acerrime, lenioribus principiis natura ipsa praetexuit. Haec autem in 75 dicendo non extrinsecus alicunde quaerenda, sed

ex ipsis visceribus causae sumenda sunt. . . Omne autem principium aut rei totius, quae agetur, significationem habere debet, aut aditum ad causam et munitionem, aut quoddam ornamentum et dignitatem. Sed oportet, ut aedibus ac templis vestibula et aditus, sic causis principia pro portione rerum preeponere. Itaque in parvis atque infrequentibus causis ab ipsa re est exordiri saepe commodius. . . Connexum autem ita sit principium consequenti orationi, ut non tamquam citharoedi prooemium afflictum aliquod, sed cohaerens cum omni corpore membrum esse videatur. . . Atque ejusmodi illa prolusio debet esse, non ut Samnitium, qui vibrant hastas ante pugnam, quibus in pugnando nihil utuntur, sed ut ipsis sententiis, quibus proluserint, vel pugnare possint. . . Principia verecunda, non elatis incensa verbis, sed acuta sententiis vel ad offensionem adversarii vel ad commendationem sui.

Narrationes credibiles nec historico, sed prope quotidiano sermone explicatae dilucide. . . Suavis autem narratio est, quae habet admirationes, expectationes, exitus inopinatos, interpositos motus animorum, colloquia personarum, dolores, iracundias, metus, laetitias, cupiditates. . . Si brevitas appellanda est, quum verbum nullum redundat, brevis est L. Crassi oratio; sin tum est brevitas, quum tantum verborum est, quantum necesse est, aliquando id opus est; sed saepe obest vel maxime in narrando, non solum quod obscuritatem affert, sed etiam quod eam virtutem, quae narrationis est maxima, ut jucunda et ad persuadendum accommodata sit, tollit. . . Sed et festivitatem habet narratio distincta personis et interpuncta sermonibus;

et est et probabilius, quod gestum esse dicas, quum quemadmodum actum sit exponas, et multo aper-
tius ad intelligendum est, si consistitur aliquando,
ac non ista brevitate percurritur. Apertam enim
narrationem tam esse oportet, quam caetera; sed
hoc magis in hac elaborandum est, quod et diffi-
cilius est non esse obscurum in re narranda, quam
aut in principio, aut in argumento, aut purgando,
aut perorando; et majore etiam periculo haec pars
orationis obscura est, quam caeterae. . . Erit autem
perspicua narratio, si verbis usitatis, si ordine tem-
porum conservato, si non interrupte narrabitur.

Est in deliberando finis utilitas. . . Quibus rebus 79
fides fit? Argumentis, quae ducuntur ex locis aut
in re ipsa insitis aut assumptis. Quos vocas locos?
In quibus latent argumenta. Quid est argumen-
tum? Probabile inventum ad faciendam fidem. . .
Orator, non ille vulgaris, sed hic excellens, a pro-
priis personis et temporibus semper, si potest, avo-
cat controversiam. . . Facile hic noster—non enim 80
declamatorem aliquem de ludo, aut rabulam de
foro, sed doctissimum et perfectissimum quaerimus
—, quoniam loci certi traduntur, percurret omnes,
utetur aptis, generatim dicet; ex quo emanant
etiam, qui communes appellantur loci. Nec vero
utetur imprudenter hac copia, sed omnia expendet
et seliget. Non enim semper nec in omnibus
causis ex iisdem argumentorum momenta sunt.
Judicium igitur adhibebit, nec inveniet solum quid
dicat, sed etiam expendet. . . His locis in mente et 81
cogitatione defixis, et in omni re ad dicendum
posita excitatis, nihil erit quod oratorem effugere
possit, non modo in forensibus disceptionibus,
sed omnino in ullo genere dicendi. . . Ex illis locis, 82

- quos exposuit Antonius, omnia sunt ad quaeque genera quaestionum argumenta sumenda; sed
83 aliis generibus alii loci magis erunt apti. . . Est ergo explicatio argumenti argumentatio; sed ea conficitur, quum sumpseris aut non dubia aut probabilia, ex quibus id efficias, quod aut dubium aut minus probabile per se videtur. Argumentandi autem duo genera sunt, quorum alterum ad fidem directo spectat, alterum se inflectit ad motum. Dirigitur, quum proposuit aliquid, quod probaret, sumpsitque ea, quibus niteretur, atque his confirmatis ad propositum se rettulit atque conclusit. Illa autem altera argumentatio, quasi retro et contra, prius sumit quae vult, eaque confirmat; deinde id, quod proponendum fuit, permotis animis jacit ad extremum. . . Veri similia autem partim singula movent suo pondere, partim, etiamsi videntur esse exigua per se, multum tamen, quum sunt coacerata, proficiunt. . . Maximam autem fidem facit ad similitudinem veri primum exemplum, deinde introducta rei similitudo; fabula etiam nonnumquam, etsi sit incredibilis, tamen homines commovet. . .
84 Reprehendo eos, qui, quae minime firma sunt, ea prima collocant. In quo illos quoque errare arbitror, qui, si quando—id quod mihi numquam placuit—plures adhibent patronos, ut in quoque eorum minimum putant esse, ita eum primum volunt dicere. Res enim hoc postulat, ut eorum exspectationi, qui audiunt, quam celerrime occurratur; cui si initio satisfactum non sit, multo plus sit in reliqua causa laborandum. Male enim se res habet, quae non statim, ut dici coepta est, melior fieri videtur. Ergo ut in oratore optimus quisque, sic in oratione firmissimum quodque sit primum;

dum illud tamen in utroque teneatur, ut ea, quae excellent, serventur etiam ad perorandum; si qua erunt mediocria—nam vitiosis nusquam esse oportet locum—, in medium turbam atque in gregem conjiciantur. . . Quid, in judiciis quae est colloca- 85
tio? Non eadem accusatoris et rei, quod accusator rerum ordinem persequitur, et singula argumenta quasi hastas in manu collocatas vehementer proponit, concludit acriter, confirmat tabulis, decretis, testimoniis, accuratiusque in singulis commoratur, orationisque preeceptis, quae ad incitandos animos valent, et in reliqua oratione, paullulum digrediens de cursu dicendi, utitur, et vehementius in perorando. Est enim propositum, ut iratum efficiat judicem. Quid faciendum est contra reo? Omnia longe secus. Sumenda principia ad benevolentiam conciliandam; narrationes aut amputandae, quae laedunt, aut relinquendae, si totae sunt molestae; firmamenta ad fidem posita aut per se diluenda, aut obscuranda, aut digressionibus obruenda; perorationes autem ad misericordiam conferendae. Semperne igitur ordinem collocandi, quem volumus, tenere possumus? Non sane; nam auditoris aures moderantur oratori prudenti et provido; et quod respuunt, immutandum est. . . Quattuor ejus partes 86
esse, quarum prima et postrema ad motum animi valet. Is enim est initii et perorationibus concitandus. Secunda, narratio, et tertia, confirmatio, fidem facit orationi. Sed amplificatio quamquam habet proprium locum, saepe etiam primum, postremum quidem fere semper, tamen reliquo in cursu orationis adhibenda est, maximeque, quum aliquid aut confirmatum est aut reprehensum. Itaque ad fidem quoque vel plurimum valet; est enim

amplificatio vehemens quaedam argumentatio... Quibus in orationibus delectatio finis est, varii sunt ordines collocandi... Ad fidem et ad motum adhibenda est omnis oratio.

- 87 Facilius est explicatio perorationis. Nam est divisa in duas partes, amplificationem et enumerationem. Augendi autem et hic est proprius locus in perorando, et in cursu ipso orationis declinationes ad amplificandum dantur, confirmata re aliqua aut reprehensa. Est igitur amplificatio gravior quaedam affirmatio, quae motu animorum conciliat in dicendo fidem. Ea et verborum genere conficitur, et rerum. Verba ponenda sunt, quae vim habent illustrandi, nec ab usu sint abhorrentia, gravia, plena, sonantia... Augent etiam relata verba, iterata, duplicata, et ea, quae ascendunt gradatim ab humilioribus verbis ad superiora... Proprius locus est augendi in iis rebus aut amissis aut amittendi periculo. Nihil est enim tam miserabile quam ex beato miser... Et hoc totum quidem exprimatur breviter. Cito enim exarescit lacrima, praesertim in alienis malis. Nec quidquam in amplificatione nimis enucleandum est, minuta est enim omnis diligentia; hic autem locus grandia requirit... Enumeratio reliqua est, laudatori nonnumquam, suasori non saepe, accusatori saepius quam reo necessaria. Hujus ipsa tempora duo sunt, si aut memoriae diffidas eorum, apud quos agas, vel intervallo temporis vel longitudine orationis, aut frequentatis firmamentis orationis et breviter expositis vim est habitura causa majorem. Reo rarius utendum est, quod ponenda sunt contraria, quorum dissolutio in brevitate non lucebit, aculei pungent. Sed erit in enumeratione vitan-

dum, ne ostentatio memoriae suscepta videatur esse puerilis. Id effugiet, qui non omnia minima repetet, sed brevi singula attingens pondera rerum ipsa comprehendet. . . Summa autem laus eloquentiae est amplificare rem ornando, quod valet non solum ad augendum aliquid et tollendum altius dicendo, sed etiam ad extenuandum atque abjiciendum. Id desideratur omnibus iis in locis, quos ad fidem orationis faciendam adhiberi dixit Antonius, vel quum explanamus aliquid, vel quum conciliamus animos, vel quum concitamus. Sed in hoc, quod postremum dixi, amplificatio potest plurimum, eaque una laus oratoris est et propria maxime. . . Quinque faciunt quasi membra eloquentiae, 88 invenire quid dicas, inventa disponere, deinde ornare verbis, post memoriae mandare, tum ad extremum agere ac pronuntiare; rem sane non reconditam. Quis enim hoc non sua sponte viderit, neminem posse dicere, nisi et quid diceret, et quibus verbis et quo ordine diceret, haberet, et ea meminisset? . . . Jubent exordiri ita, ut eum, qui audiat, benevolum nobis faciamus et docilem et attentum; deinde rem narrare ita, ut veri similis narratio sit, ut aperta, ut brevis; post autem dividere causam aut proponere; nostra confirmare argumentis ac rationibus; deinde contraria refutare. Tum autem alii conclusionem orationis et quasi perorationem collocant; alii jubent, antequam peroretur, ornandi aut augendi causa digredi; deinde concludere ac perorare. . . Quae praecepta principiorum et narrationum esse voluerunt, ea in totis orationibus sunt conservanda. Nam ego mihi benevolum judicem facilius facere possum, quum sum in cursu orationis, quam quum omnia sunt in-

audita; docilem autem, non quum polliceor me demonstraturum, sed tum, quum doceo et explano; attentum vero, crebro tota actione excitandis mentibus judicum, non prima denuntiatione, efficere possumus. Jam vero narrationem quod jubent veri similem esse et apertam et brevem, recte nos admonent; quod haec narrationis magis putant esse propria quam totius orationis, valde mihi vindentur errare.

90 Illud quidem perspicuum est, non modo partes orationis, sed etiam causas totas alias alia forma dicendi esse tractandas. . . Volo prius habeat orator rem, de qua dicat, dignam auribus eruditis, quam cogitet quibus verbis quidque dicat, aut quomodo. Quem etiam, quo grandior sit et quodammodo excelsior, ne physicorum quidem esse ignarum volo. Omnia profecto, quum se a caelestibus rebus referet ad humanas, excelsius magnificentiusque et dicet et sentiet. Quumque illa divina cognoverit, nolo ignoret ne haec quidem humana. Jus civile teneat, quo egent causae forenses quotidie.

91 Audieram etiam quae de orationis ipsius ornamentis traderentur; in qua praecipitur primum, ut pure et Latine loquamur; deinde ut plane et dilucide; tum ut ornate; post ad rerum dignitatem apte et quasi decore. . . Quinam dicendi est modus melior, quam ut Latine, ut plane, ut ornate, ut ad id, quodcumque agetur, apte congruenterque dicamus? . . Atque, ut Latine loquamur, non solum videndum est, ut et verba efferamus ea, quae nemo jure reprehendat, et ea sic et casibus et temporibus et genere et numero conservemus, ut ne quid perturbatum ac discrepans aut praeposterum sit; sed etiam lingua et spiritus et vocis sonus est ipse

moderandus... Sunt enim certa vicia, quae nemo est, quin effugere cupiat: mollis vox, ut muliebris, aut quasi extra modum absona atque absurdia... Me autem tuus sonus et suavitas ista delectat; ... hanc dico suavitatem, quae exit ex ore; quae quidem ut apud Graecos Atticorum, sic in Latino sermone hujus est urbis maxime propria... Praetereamus 93
praecepta Latine loquendi, quae puerilis doctrina tradit, et subtilior cognitio ac ratio litterarum alit, aut consuetudo sermonis quotidiani ac domestici, libri confirmant, et lectio veterum oratorum et poëtarum. Neque vero in illo altero diutius commoremur, ut disputemus, quibus rebus assequi possimus, ut ea, quae dicamus, intelligentur. Latine scilicet dicendo, verbis usitatis ac proprie demonstrantibus ea, quae significari ac declarari volemus, sine ambiguo verbo aut sermone, non nimis longa continuatione verborum, non valde productis iis, quae similitudinis causa ex aliis rebus transferuntur, non disceptis sententiis, non praeposteris temporibus, non confusis personis, non conturbato ordine... Unum erit profecto, quod ii, 94
qui bene dicunt, afferent proprium, compositam orationem, et ornatam, et artificio quodam et expolitione distinctam. Haec autem oratio, si res non subest ab oratore percepta et cognita, aut nulla sit necesse est, aut omnium irrisione ludatur. Quid est enim tam furiosum, quam verborum vel optimorum atque ornatissimorum sonitus inanis, nulla subjecta sententia nec scientia?... Hoc enim est proprium oratoris, oratio gravis, et ornata, et hominum sensibus ac mentibus accommodata... Nemo umquam est oratorem, quod Latine loquetur, admiratus. Si est aliter, irrident; neque eum 95

- oratorem tantummodo, sed hominem non putant. . . In quo igitur homines exhorrescunt? quem stupefacti dicentem intuentur? in quo exclamat? quem deum, ut ita dicam, inter homines putant? Qui distincte, qui explicate, qui abundanter, qui illuminate et rebus et verbis dicunt, et in ipsa oratione quasi quemdam numerum versumque conficiunt: id est, quod dico, ornate. . . Neque sine forensibus nervis satis vehemens et gravis, nec sine varietate doctrinae satis politus et sapiens esse
96 orator potest. . . Genus dicendi est eligendum, quod maxime teneat eos, qui audiant, et quod non solum delectet, sed etiam sine satietate delectet. . . Quare, bene et p raeclar e, quamvis nobis saepe dicatur; belle et f estive, nimium saepe nolo. Quamquam illa ipsa exclamatio: Non potest melius, sit velim crebra, sed habeat tamen illa in dicendo admiratio ac summa laus umbram aliquam et recessum, quo magis id, quod erit illuminatum, exstare atque eminere videatur. . . Ita sit nobis ornatus et suavis orator—nec tamen potest aliter esse—, ut suavitatem habeat austera et solidam,
97 non dulcem atque decoctam. . . In hoc tanto tam immensoque campo quum liceat oratori vagari libere, atque, ubicumque constiterit, consistere in suo, facile suppeditat omnis apparatus ornatusque dicendi. Rerum enim copia verborum copiam gignit; et, si est honestas in rebus ipsis, de quibus dicitur, existit ex re naturalis quidam splendor in verbis. Sit modo is, qui dicet aut scribet, institutus liberaliter educatione doctrinaque puerili, et flagret studio, et a natura adjuvetur; et, in universorum generum infinitis disceptationibus exercitatus, ornatissimos scriptores oratoresque ad cognoscendos.

scendum imitandumque delegerit; nae ille haud sane, quemadmodum verba struat et illuminet, a magistris istis requiret. Ita facile in rerum abundantia ad orationis ornamenta sine duce natura ipsa, si modo est exercitata, labetur. . . Volo se 98 efferat in adolescente fecunditas. Nam sicut facilius in vitibus revocantur ea, quae sese nimium profuderunt, quam, si nihil valet materies, nova sarmenta cultura excitantur, item volo esse in adolescente, unde aliquid amputem.

Σχῆματα quae vocant Graeci, ea maxime ornant 99 orationem; eaque non tam in verbis pingendis habent pondus, quam in illuminandis sententiis. . . Sermo purus erit et Latinus; dilucide planeque 100 dicetur; . . . acutae crebraeque sententiae ponentur. . . Atque in hoc orator dominabitur; verecundus erit usus oratoriae quasi supellectilis. Supellex est enim quodammodo nostra, quae est in ornamentis, alia rerum, alia verborum. Ornatus autem verborum duplex: unus simplicium, alter collocatorum. . . Prima vis est in simplicibus verbis, in 101 conjunctis secunda. Simplicia invenienda sunt, conjunctio collocanda est. Et simplicia verba partim nativa sunt, partim reperta. Nativa ea, quae significata sunt sensu; reperta, quae ex his facta sunt et novata, aut similitudine aut imitatione aut inflexione aut adjunctione verborum. . . Numeri quidam sunt in conjunctione servandi, consecutioque verborum. Numeros aures ipsae metiuntur, ne aut non compleas verbis quod proposueris, aut redundes. Consecutio autem, ne generibus, numeris, temporibus, personis, casibus perturbetur oratio. Nam ut in simplicibus verbis, quod non est Latinum, sic in conjunctis, quod non est conse-

quens, vituperandum est. . . Communia autem simplicium conjunctorumque haec sunt quinque quasi lumina, dilucidum, breve, probabile, illustre, suave.

102 . . . Tria sunt igitur in verbo simplici, quae orator afferat ad illustrandam atque exornandam orationem: aut inusitatum verbum, aut novatum, aut translatum. Inusitata sunt prisca fere ac vetustate ab usu quotidiani sermonis jam diu intermissa, quae sunt poëtarum licentiae liberiora quam nostrae; sed tamen raro habet etiam in oratione poëticum aliquod verbum dignitatem. . . Novantur autem verba, quae ab eo, qui dicit, ipso gignuntur ac fiunt, vel conjungendis verbis; . . . vel saepe sine coniunctione. . . Tertius ille modus transferendi verbi late patet, quem necessitas genuit inopia coacta et angustiis, post autem jucunditas delectatioque celebravit. Nam ut vestis frigoris depellendi causa reperta primo, post adhiberi copta est ad ornatum etiam corporis et dignitatem, sic verbi translatio instituta est inopiae causa, frequentata delectationis. . . Similitudinis est ad verbum unum contracta brevitas, quod verbum in alieno loco tamquam in suo positum, si agnoscitur, delectat; si simile nihil habet, repudiatur. Sed ea transferri oportet, quae aut clariorem faciunt rem, aut quo significetur magis res tota. . . Si res suum nomen et vocabulum proprium non habet, necessitas cogit, quod non habeas, aliunde sumere: sed in suorum verborum maxima copia tamen homines aliena multo magis, si sunt ratione translata, delectant. Id accidere credo, vel quod ingenii specimen est quoddam, transilire ante pedes posita, et alia longe repetita sumere; vel quod is, qui audit, alio ducitur cogitatione, neque tamen aberrat,

quae maxima est delectatio; vel quod singulis verbis res ac totum simile conficitur; vel quod omnis translatio, quae quidem sumpta ratione est, ad sensus ipsos admovetur, maxime oculorum, qui est sensus acerrimus... Quo in genere primum est fugienda dissimilitudo... Deinde videndum est ne longe simile sit ductum... Fugienda est omnis turpitudo earum rerum, ad quas eorum animos, qui audient, trahet similitudo... Nolo esse aut majus, quam res postulet, aut minus... Nolo esse verbum angustius id, quod translatum sit, quam fuisset illud proprium ac suum... Si vereare, ne paullo durior translatio esse videatur, mollienda est praeposito saepe verbo... Etenim verecunda debet esse translatio, ut deducta esse in alienum locum, non irrupisse, atque ut precario, non vi, venisse videatur... Est hoc magnum ornamentum orationis, in quo obscuritas fugienda est; etenim hoc fere genere fiunt ea, quae dicuntur aenigmata.

Et commoratio una in re permultum movet, et 104 illustris explanatio, rerumque, quasi gerantur, sub aspectum paene subjectio; quae et in exponenda re plurimum valet, et ad illustrandum id, quod exponitur, et ad amplificandum; ut iis, qui audient, illud, quod augebimus, quantum efficere oratio poterit, tantum esse videatur; et huic contraria saepe percursio est, et plus ad intelligendum, quam dixeris, significatio, et distincte concisa brevitas, et extenuatio, et huic adjuncta illusio:... et ab re digressio, in qua quum fuerit delectatio, tum reditus ad rem aptus et concinnus esse debebit; propositione quid sis dicturus, et ab eo, quod est dictum, sejunctio, et reditus ad propositum, et iteratio, et rationis apta conclusio: tum augendi minuendive

causa veritatis superlatio atque trajectio; et roga-
tio, atque huic finitima quasi percontatio exposi-
tioque sententiae suae; tum illa, quae maxime
quasi irrepit in hominum mentes, alia dicentis ac
significantis dissimulatio; quae est perjucunda,
quum in oratione non contentione, sed sermone
tractatur; deinde dubitatio, tum distributio, tum
correctio vel ante vel postquam dixeris, vel quum
105 aliquid a te ipso rejicias. Praemunitio etiam est
ad id, quod aggrediare, et trajectio in alium; com-
municatio, quae est quasi cum iis ipsis, apud quos
dicas, deliberatio; morum ac vitae imitatio, vel in
personis vel sine illis, magnum quoddam ornamen-
tum orationis, et aptum ad animos conciliandos
vel maxime, saepe autem etiam ad commovendos;
personarum facta inductio, vel gravissimum lumen
augendi; descriptio, erroris inductio, ad hilarita-
tem impulsio, anteoccupatio; tum duo illa, quae
maxime movent, similitudo et exemplum; digestio,
interpellatio, contentio, reticentia, commendatio;
vox quaedam libera atque etiam effrenatior augen-
di causa; iracundia, objurgatio, promissio, depre-
catio, obsecratio, declinatio brevis a proposito, non
ut superior illa digressio, purgatio, conciliatio, lae-
sio, optatio atque exsecratio. His fere luminibus
106 illustrant orationem sententiae. Orationis autem
ipsius, tamquam armorum, est vel ad usum com-
minatio et quasi petitio, vel ad venustatem ipsa
tractatio. Nam et geminatio verborum habet in-
terdum vim, leporem alias; et paullum immutatum
verbum atque deflexum, et ejusdem verbi crebra
tum a primo repetitio, tum in extremum conversio,
et in eadem verba impetus et concursio, et adjunc-
tio, et progressio, et ejusdem verbi crebrius positi

quaedam distinctio, et revocatio verbi, et illa, quae similiter desinunt, aut quae cadunt similiter, aut quae paribus paria referuntur, aut quae sunt inter se similia. Est etiam gradatio quaedam, et conver-
sio, et verborum concinna transgressio, et contra-
rium, et dissolutum, et declinatio, et reprehensio,
et exclamatio, et imminutio, et quod in multis casi-
bus ponitur, et quod de singulis rebus propositis
ductum refertur ad singula, et ad propositum sub-
jecta ratio, et item in distributis supposita ratio, et
permissio, et rursum alia dubitatio, et improvisum
quiddam, et dinumeratio, et alia correctio, et dissipa-
tio, et continuatum, et interruptum, et imago, et
sibi ipsi responsio, et immutatio, et dijunctio, et
ordo, et relatio, et digressio, et circumscrip-
tio. Haec enim sunt fere, atque horum similia vel plura
etiam esse possunt, quae sententiis orationem ver-
borumque conformatiōnibus illuminent.

Sequitur continuatio verborum, quae duas res maxime, collocationem primum, deinde modum quemdam formamque desiderat. Collocationis est componere et struere verba sic, ut neve asper eorum concursus neve hiulcus sit. . . Hanc diligentiam subsequitur modus etiam et forma verborum. . . Hoc in omnibus item partibus orationis evenit, ut utilitatem ac prope necessitatem suavitas quaedam et lepos consequatur. Clausulas enim, atque interpuncta verborum, animae interclusio atque angustiae spiritus attulerunt. Id inventum ita suave est, ut, si cui sit infinitus spiritus datus, tamen eum perpetuare verba nolimus. Id enim auribus nostris gratum est inventum, quod hominum lateribus non tolerabile solum, sed etiam facile esse posset. Longissima est igitur complexio verborum, quae

volvi uno spiritu potest. Sed hic naturae modus
109 est, artis alias. . . Collocabuntur verba, ut aut inter-
se quam aptissime cohaereant extrema cum primis,
eaque sint quam suavissimis vocibus, aut ut forma
ipsa concinnitasque verborum conficiat orbem
suum, aut ut comprehensio numerose et apte
cadat. . . Impetratum est a consuetudine, ut pec-
care suavitatis causa liceret. . . Voluptati autem
aurium morigerari debet oratio. . . Due sunt
igitur res, quae permulceant aures, sonus et nume-
rus. . . Verba legenda sunt potissimum bene sonan-
tia, sed ea non ut poëtae exquisita ad sonum, sed
sumpta de medio. . . Nec solum componentur verba
ratione, sed etiam finientur. . . Sed finiuntur aut
compositione ipsa et quasi sua sponte, aut quodam
genere verborum, in quibus ipsis concinnitas inest;
quae sive casus habent in exitu similes, sive pari-
bus paria redduntur, sive opponuntur contraria,
suapte natura numerosa sunt, etiamsi nihil est fac-
110 tum de industria. . . Contiones saepe exclamare
vidi, quum apte verba cecidissent. . . In versu qui-
dem theatra tota exclamant, si fuit una syllaba aut
brevior aut longior. Nec vero multitudo pedes
novit, nec ullos numeros tenet, nec illud, quod
offendit, aut cur aut in quo offendat, intelligit;
et tamen omnium longitudinum et brevitatum
in sonis, sicut acutarum graviumque vocum, ju-
dicium ipsa natura in auribus nostris collocavit.
111 Versus enim veteres illi in hac soluta oratione
propemodum, hoc est, numeros quosdam nobis
esse adhibendos putaverunt. . . Haec igitur duo,
vocis dico moderationem et verborum conclu-
sionem, quoad orationis severitas pati posset, a
poëtica ad eloquentiam traducenda duxerunt. . .

Orator sic illigat sententiam verbis, ut eam numero quodam complectatur et astricto et soluto. Nam quum vinxit forma et modis, relaxat et liberat immutatione ordinis, ut verba neque alligata sint quasi certa aliqua lege versus, neque ita soluta, ut vagentur. . . Non est res tam difficult quam necessaria. Nihil est enim tam tenerum, neque tam flexibile, neque quod tam facile sequatur quocumque ducas, quam oratio. . . Itaque tum graves sumus, tum subtiles, tum medium quiddam tenemus ; sic institutam nostram sententiam sequitur orationis genus, idque ad omnem aurium voluptatem et animorum motum mutatur et vertitur.

. . . Quare aut paria esse debent posteriora superioribus, et extrema primis, aut, quod etiam est melius et jucundius, longiora. . . Neque tamen hoc tanti laboris est, quanti videtur ; nec sunt haec rhythmorum aut musicorum acerrima norma dirigenda : efficiendum est illud modo nobis, ne fluat oratio, ne vagetur, ne insistat interius, ne excurrat longius ; ut membris distinguatur, ut conversiones habeat absolutas. Neque semper utendum est perpetuitate et quasi conversione verborum, sed saepe carpenda membris minutioribus oratio est, quae tamen ipsa membra sunt numeris vincienda. . . Verborum junctio nascatur a proceris numeris ac liberis, sed varie distinque considat. Notatur enim maxime similitudo in conquiescendo. . . Clausulas autem diligentius etiam servandas esse arbitror quam superiora, quod in eis maxime perfectio atque absolutio judicatur. Nam versus aequa prima et media et extrema pars attenditur ; qui debilitatur, in quacumque est parte titubatum ; in oratione autem pauci prima cernunt, postrema plerique : quae

112

113

quoniam apparent et intelliguntur, varianda sunt, ne aut animorum judiciis repudientur aut aurium
114 satietate. . . Ipsa natura circumscriptione quadam verborum comprehendit concluditque sententiam, quae quum aptis constricta verbis est, cadit etiam plerumque numerose. Nam et aures ipsae quid plenum, quid inane sit judicant, et spiritu quasi necessitate aliqua verborum comprehensio terminatur: in quo non modo defici, sed etiam laborare
115 turpe est. . . Omnino duo sunt, quae condiant orationem, verborum numerorumque jucunditas. In verbis inest quasi materia quaedam, in numero autem expolitio. . . Id in dicendo numerosum putatur, non quod totum constat e numeris, sed quod ad numeros proxime accedit. Quo etiam difficilius est oratione uti quam versibus, quod illis certa quaedam et definita lex est, quam sequi sit necesse; in dicendo autem nihil est propositum, nisi ut ne immoderata aut angusta aut dissoluta aut fluens sit oratio. . . Ita fit, ut non item in oratione ut in versu numerus exstet, idque, quod numerosum in oratione dicitur, non semper numero fiat, sed nonnumquam aut concinnitate aut constructione verborum. Ita si numerus orationis quaeritur qui sit, omnis est, sed alius alio melior atque aptior; si locus, in omni parte verborum; si unde ortus sit, ex aurium voluptate; . . . si ad quam rem adhibetur, ad delectationem; si quando, semper; si quo loco, in tota continuatione verborum; si quae res efficiat voluptatem, eadem quae in versibus, quorum modum notat ars, sed aures ipsae tacito eum sensu
116 sine arte definiunt. . . Iambus et dactylus in versum cadunt maxime. Itaque ut versum fugimus in oratione, sic hi sunt evitandi continuati pedes. . .

Paean autem minime est aptus ad versum; quo libentius eum recepit oratio... Iambus frequentissimus est in iis, quae demisso atque humili sermone dicuntur; paeon autem in amplioribus; in utroque dactylus. Itaque in varia et perpetua oratione hi sunt inter se miscendi et temperandi... Jam paean, quod plures habet syllabas quam tres, numerus a quibusdam, non pes habetur. Est quidem, ut inter omnes constat antiquos, Aristotelem, Theophrastum, Theodectem, Ephorum, unus aptissimus orationi vel orienti vel mediae; putant illi etiam cadenti, quo loco mihi videtur aptior creticus... Ne spondeus quidem funditus est repudiandus. Etsi, quod est e longis duabus, hebetior videtur et tardior, habet tamen stabilem quemdam et non expertem dignitatis gradum, in incisionibus vero multo magis et in membris; paucitatem enim pedum gravitate sua et tarditate compensat... Adhibenda est igitur numerosa oratio, si aut laudandum est aliquid ornatius, aut exponenda narratio, quae plus dignitatis desiderat quam doloris... Saepe etiam in amplificanda re concessu omnium funditur numerose et volubiliter oratio... Fluit omnino numerus a primo tum incitatius brevitate pedum, tum proceritate tardius. Cursum contentiones magis requirunt, expositiones rerum tarditatem... Formae vero quaedam sunt orationis, in quibus ea concinnitas est, ut sequatur numerus necessario. Nam quum aut par pari refertur, aut contrarium contrario opponitur, aut quae similiter cadunt verba verbis comparantur, quidquid ita concluditur, plerumque fit ut numerose cadat.... Multum interest utrum numerosa sit, id est, similis numerorum, an plane e numeris constet oratio.

Alterum si fit, intolerabile vitium est ; alterum nisi
118 fit, dissipata et inculta et fluens est oratio. . . Nihil
est aliud pulchre et oratorie dicere, nisi optimis
sententiis verbisque lectissimis dicere. Et nec
sententia ulla est, quae fructum oratori ferat, nisi
apte exposita atque absolute, nec verborum lumen
apparet nisi diligenter collocatorum ; et horum
utrumque numerus illustrat. . . Tantum abest, ut
enervetur oratio compositione verborum, ut ali-
ter in ea nec impetus ullus nec vis esse possit. . .
Quae vitia qui fugerit, ut neque verbum ita tra-
jiciat, ut id de industria factum intelligatur, neque
inferciens verba quasi rimas expleat, nec minutos
numeros sequens concidat delumbetque sententias,
nec sine ulla commutatione in eodem semper ver-
setur genere numerorum, is omnia fere vitia vita-
119 verit. . . Continuationem verborum modo relaxet
et dividat, utaturque verbis quam usitatissimis,
tralationibus quam mollissimis ; etiam illa senten-
tiarum lumina assumat, quae non erunt vehemen-
ter illustria. . . Illa, de quibus ante dixi, huic acuto
fugienda sunt, paria paribus relata, et similiter con-
clusa, eodemque pacto cadentia, et immutatione
litterae quasi quæsitaे venustates, ne elaborata
concinnitas et quoddam aucupium delectationis
120 manifesto deprehensum appareat. . . Est vitiosum
in sententia, si quid absurdum aut alienum aut non
acutum aut subinsulsum est ; in verbis, si inquinat-
um, si abjectum, si non aptum, si durum, si longe
petitum. Haec vitaverunt fere omnes, qui aut At-
tici numerantur, aut dicunt Attice. Sed qui ea-
tenus valuerunt, sani et sicci dumtaxat habeantur,
sed ita, ut palaestritæ ; spatiari in xysto ut liceat,
non Olympiis coronam petant.

Suavis autem est et vehementer saepe utilis jocus 121 et facetiae; quae, etiamsi alia omnia tradi arte possunt, naturae sunt propria certe, neque ullam artem desiderant. . . Quare mihi quidem nullo modo videtur doctrina ista res posse tradi. Etenim quem duo genera sint facetiarum, alterum aequabiliter in omni sermone fusum, alterum peracutum et breve, illa a veteribus superior cavillatio, haec altera dicacitas nominata est. Leve nomen habet utraque res! quippe; leve enim est totum hoc, risum movere. . . Non fere quisquam reperietur in utroque genere leporis excellens, et illo, quod in perpetuitate sermonis, et hoc, quod in celeritate atque dicto est. . . Nihil tam facile quam multitudo a tristitia, et saepe ab acerbitate, commode et breviter et acute et hilare dicto deducitur. . . Est plane 122 oratoris movere risum; vel quod ipsa hilaritas benevolentiam conciliat ei, per quem excitata est; vel quod admirantur omnes acumen, uno saepe in verbo positum, maxime respondentis, nonnumquam etiam lacescentis; vel quod frangit adversarium, quod impedit, quod elevat, quod deterret, quod refutat; vel quod ipsum oratorem politum esse hominem significat, quod eruditum, quod urbanum; maximeque quod tristitiam ac severitatem mitigat et relaxat, odiosasque res saepe, quas argumentis dilui non facile est, joco risuque dissolvit. Quatenus autem sint ridicula tractanda oratori, 123 perquam diligenter videndum est. . . Nam nec insignis improbitas et scelere juncta nec rursus miseria insignis agitata ridetur: facinorosos enim majore quadam vi, quam ridiculi, vulnerari volunt: miseros illudi nolunt, nisi se forte jactant. Parcendum autem maxime est caritati hominum, ne te-

mere in eos dicas, qui diliguntur. Haec igitur adhibenda est primum in jocando moderatio. Itaque ea facillime luduntur, quae neque odio magno neque misericordia maxima digna sunt. . . Temporis igitur ratio, et ipsius dicacitatis moderatio et temperantia, et raritas dictorum distinguet oratorem a scurra: et, quod nos cum causa dicimus, non ut ridiculi videamur, sed ut proficiamus aliquid,
124 illi totum diem et sine causa. . . Haec sit prima partitio, quod facete dicatur, id alias in re habere, alias in verbo facetias; maxime autem homines delectari, si quando risus conjuncte re verboque moveatur. Sed hoc mementote, quoscumque locos attingam, unde ridicula ducantur, ex iisdem locis fere etiam graves sententias posse duci. Tantum interest, quod gravitas honestis in rebus servatur, jocus in turpiculis et quasi deformibus ponitur. . . Alterum genus est imitatione; admodum ridiculum, sed nobis tantum licet furtim, si quando, et cursim; aliter enim minime est liberale; tertium, oris depravatio, non digna nobis; quartum, obscoenitas, non solum non foro digna, sed vix convivio liberorum. . . Quod, quibuscumque verbis dixeris, facetum tamen est, re continetur; quod mutatis verbis salem amittit, in verbis habet leporrem omnem. Ambigua sunt in primis acuta, atque in verbo posita, non in re; sed non fere magnum risum movent, magis ut belle et litterate dicta laudantur. . . Huic generi orationis aspergentur etiam sales, qui in dicendo nimium quantum valent; quorum duo genera sunt, unum facetiarum, alterum dicacitatis. Utetur utroque; sed altero in narrando aliquid venuate, altero in jaciendo mittendoque ridiculo. . . Vitabit etiam quaesita nec ex
125

tempore facta, sed domo allata, quae plerumque sunt frigida. Parcet et amicitiis et dignitatibus, vitabit insanabiles contumelias, tantummodo adversarios figet, nec eos tamen semper, nec omnes, nec omni modo.

Nihil est in dicendo majus, quam ut faveat oratoris, qui audiet, utique ipse sic moveatur, ut impetu quodam animi et perturbatione magis quam judicio aut consilio regatur. Plura enim multo homines judicant odio, aut amore, aut cupiditate, aut iracundia, aut dolore, aut laetitia, aut spe, aut timore, aut errore, aut aliqua permotione mentis, quam veritate, aut praescripto, aut juris norma aliqua, aut judicii formula, aut legibus. . . Et ex illa lenitate, qua conciliamus iis, qui audiunt, ad hanc vim acerrimam, qua eosdem excitamus, influat oportet aliquid, et ex hac vi nonnumquam animi aliquid infundendum est illi lenitati; neque est ulla temperatio oratio, quam illa, in qua asperitas contentionis oratoris ipsius humanitate conditur, remissio autem lenitatis quadam gravitate et contentione firmatur. . . Magna vis est earum sententiarum atque eorum locorum, quos agas tractesque dicendo, nihil ut opus sit simulatione et fallaciis. Ipsa enim natura orationis ejus, quae suscipitur ad aliorum animos permovendos, oratorem ipsum magis etiam quam quemquam eorum, qui audiunt, permovet. . . Non mehercule umquam apud judices aut dolorem, aut misericordiam, aut invidiam, aut odium dicendo excitare volui, quin ipse in commovendis judicibus iis ipsis sensibus, ad quos illos adducere vellem, permoverer. . . Habet multitudo vim quamdam talem, ut, quemadmodum tibicen sine tibiis canere, sic orator sine multitudine

126

127

- 128 audiente eloquens esse non possit. . . Nec vero miseratione solum mens judicum permovenda est: . . . sed etiam est faciendum, ut irascatur judex, mitigetur; invideat, faveat; contemnat, admiretur; oderit, diligat; cupiat, satietate afficiatur; speret, metuat; laetetur, doleat. . . Nulla me ingenii, sed magna vis animi inflamat, ut me ipse non teneam; nec umquam is, qui audiret, incenderetur,
- 129 nisi ardens ad eum perveniret oratio. . . Ardor animi non semper adest, isque quum consedit, omnis illa vis et quasi flamma oratoris extinguitur. . .
- 130 Non semper fortis oratio quaeritur, sed saepe placida, sumissa, lenis, quae maxime commendat reos. Reos autem appello non eos modo, qui arguuntur, sed omnes, quorum de re disceptatur:
- 131 sic enim olim loquebantur. . . Qui nihil potest tranquille, nihil leniter, nihil partite, definite, distincte, facete dicere; si is non praeparatis aribus inflammare rem coepit, furere apud sanos, et quasi inter sobrios bacchari violentus videtur.
- 132 Quum autem quid et quo loco dicat invenerit, illud est longe maximum, videre quonam modo. . . Quo modo autem dicatur, id est in duobus, in agendo, et in eloquendo. Est enim actio quasi corporis quaedam eloquentia, quum constet e voce atque motu. . . Demosthenem ferunt ei, qui quae-sivisset quid primum esset in dicendo, actionem: quid secundum, idem, et idem tertium respondisse. Nulla res magis penetrat in animos eosque fingit, format, flectit, talesque oratores videri facit, quales ipsi se videri volunt. . . Actio, inquam, in dicendo una dominatur. Sine hac summus orator esse in numero nullo potest; mediocris hac instructus summos saepe superare. Huic primas dedisse De-

mosthenes dicitur, quum rogaretur, quid in dicendo esset primum; huic secundas, huic tertias. Quo mihi melius etiam illud ab Aeschine dictum videri solet; qui quum propter ignominiam judicii cessisset Athenis et se Rhodum contulisset, rogatus a Rhodiis leguisse fertur orationem illam egregiam, quam in Ctesiphontem contra Demosthenem dixerat; qua perfecta, petitum ab eo est postridie, ut legeret illam etiam, quae erat contra ab Demosthenem pro Ctesiphonte edita: quam quum suavissima et maxima voce legisset, admirantibus omnibus: Quanto, inquit, magis miraremini, si audissetis ipsum! Ex quo satis significavit quantum esset in actione, qui orationem eamdem aliam fore putarit, actore mutato... Omnis motus animi suum quemdam a natura habet vultum et sonum et gestum; corpusque totum hominis et ejus omnis vultus omnesque voces, ut nervi in fidibus, ita sonant, ut a motu animi quoque sunt pulsae. Nam voces ut chordae sunt intentae, quae ad quemque tactum respondeant; acuta, gravis; cito, tarda; magna, parva... Atque etiam illa sunt ab his delapsa plura genera, lene, asperum; contractum, diffusum; continentis spiritu, intermisso; fractum, scissum; flexo sono extenuatum, inflatum. Nullum est enim horum generum, quod non arte ac moderatione tractetur. Hi sunt actori, ut pictori, expositi ad variandum colores... Ad actionis autem usum atque laudem, maximam sine dubio partem vox obtinet; quae primum est optanda nobis; deinde, quaecumque erit, ea tuenda. De quo illud jam nihil ad hoc praecipiendi genus, quemadmodum voci serviatur: equidem tamen magno opere censeo serviendum; sed illud videtur ab hujus nostri sermonis officio

135


136

non abhorrere, quod, ut dixi paullo ante, plurimis
in rebus quod maxime est utile, id nescio quo pacto
etiam decet maxime. Nam ad vocem obtinendam
nihil est utilius, quam crebra mutatio; nihil perni-
ciosius, quam effusa sine intermissione contentio.
Quid, ad aures nostras et actionis suavitatem, quid
est vicissitudine et varietate et commutatione ap-
tius? . . . In omni voce est quiddam medium, sed
137 suum cuique voci. Hinc gradatim ascendere vocem
utile et suave est. Nam a principio clamare agres-
te quiddam est: et idem illud ad firmandam est
vocem salutare. Deinde est quiddam contentionis
extremum, quod tamen interius est, quam acutissi-
mus clamor, quo te fistula progreedi non sinet, et
jam ab ipsa contentione revocabit. Est item con-
tra quiddam in remissione gravissimum, quoque
tamquam sonorum gradibus descenditur. Haec
varietas et hic per omnes sonos vocis cursus et se-
tuebitur, et actioni afferet suavitatem. . . . Vocis bo-
138 nitas quidem optanda est: non est enim in nobis,
sed tractatio atque usus in nobis. Ergo ille prin-
ceps variabit et mutabit: omnes sonorum, tum in-
tendens, tum remittens, persequetur gradus. Idem-
que motu sic utetur, nihil ut supersit. In gestu
status erectus et celsus; rarus incessus, nec ita
longus; excursio moderata, eaque rara; nulla mol-
litia cervicum, nullae argutiae digitorum, non ad
numerum articulus cadens; trunco magis toto se
ipse moderans, et virili laterum flexione, brachii
projectione in contentionibus, contractione in re-
missis. Vultus vero, qui secundum vocem pluri-
mum potest, quantam afferet tum dignitatem, tum
venustatem! In quo quum effeceris ne quid ineptum
aut vultuosum sit, tum oculorum est quaedam

magna moderatio. Nam ut imago est animi vultus, sic indices oculi; quorum et hilaritatis et vicissim tristitia modum res ipsae, de quibus agetur, temperabunt. . . In ore sunt omnia. In eo autem 139 ipso dominatus est omnis oculorum. . . Animi est enim omnis actio, et imago animi vultus, indices oculi. Nam haec est una pars corporis, quae, quot animi motus sunt, tot significaciones et commutations possit efficere. Neque vero est quisquam, qui eadem connivens efficiat. . . Quare oculorum est magna moderatio. Nam oris non est nimium mutanda species, ne aut ad ineptias, aut ad pravitudinem aliquam deferamur. Oculi sunt, quorum tum intentione, tum remissione, tum conjectu, tum hilaritate motus animorum significemus apte cum genere ipso orationis. Est enim actio quasi sermo corporis, quo magis menti congruens esse debet. Oculos autem natura nobis, ut equo et leoni setas, caudam, aures, ad motus animorum declarandos dedit. Quare in hac nostra actione secundum vocem vultus valet; is autem oculis gubernatur. . . Omnes autem hos motus subsequi debet gestus, non 140 hic verba exprimens, scenicus, sed universam rem et sententiam, non demonstratione, sed significatione declarans, laterum inflexione hac forti ac virili, non ab scena et histrionibus, sed ab armis aut etiam a palaestra. Manus autem minus arguta, digitis subsequens verba, non exprimens; brachium procerius projectum, quasi quoddam telum orationis; supplosio pedis in contentionibus aut incipiendis aut finiendis. . . Volo ut in scena, sic 141 etiam in foro non eos modo laudari, qui celeri motu et difficulti utantur, sed eos etiam, quos statarios appellant, quorum sit illa simplex in agendo

142 veritas, von molesta. . . Sic dicet ille, quem expetimus, ut verset saepe multis modis eadem, et una in re haereat, in eademque commoretur sententia; saepe etiam ut extenuet aliquid, saepe ut irrideat; ut declinet a proposito, deflectatque sententiam; ut proponat, quid dicturus sit; ut, quum transegerit jam aliquid, definiat; ut se ipse revocet; ut, quod dixit, iteret; ut argumentum ratione concludat; ut interrogando urgeat; ut rursus quasi ad interrogata sibi ipse respondeat; ut contra ac dicat accipi et sentiri velit; ut addubitet, quid potius aut quomodo dicat; ut dividat in partes; ut aliquid relinquat ac negligat; ut ante praemuniat; ut in eo ipso, in quo reprehendatur, culpam in adversarium conferat; ut saepe cum iis, qui audiunt, nonnumquam etiam cum adversario, quasi deliberet; ut hominum sermones moresque describat; ut muta quaedam loquentia inducat; ut ab eo, quod agitur, avertat animos; ut saepe in hilaritatem risum-
ve convertat; ut ante occupet, quod videat opponi; ut comparet similitudines; ut utatur exemplis; ut aliud alii tribuens dispertiat; ut interpellatorem coérceat; ut aliquid reticere se dicat; ut denuntiet, quid caveant; ut liberius quid audeat; ut irascatur etiam, ut objurget aliquando; ut deprecetur; ut supplicet; ut medeatar; ut a proposito declinet aliquantum; ut optet; ut exsecretur; ut fiat iis, apud quos dicet, familiaris. Atque alias etiam dicendi quasi virtutes sequentur: bevitatem, si res petet; saepe etiam rem dicendo subjiciet oculis; saepe supra feret quam fieri possit; significatio saepe erit major quam oratio; saepe hilaritas, saepe vitae naturarumque imitatio. Hoc in genere—nam quasi silvam vides—omnis eluceat oportet
143

eloquentiae magnitudo... Oratorem genere non 144
divido; perfectum enim quaero. Unum est autem
genus perfecti, a quo qui absunt, non genere diffe-
runt, sed in eodem genere non sunt pares. Opti-
mus est enim orator, qui dicendo animos audi-
entium et docet, et delectat, et permovet. Docere
debitum est, delectare honorarium, permovere ne-
cessarium. Haec ut aliis melius quam aliis, con-
cedendum est; verum id fit non genere, sed gradu.
Optimum quidem unum est, et proximum, quod ei
simillimum. Ex quo perspicuum est, quod optimo
dissimillimum sit, id esse deterrimum. Nam quo-
niam eloquentia constat et ex verbis et ex senten-
tiis, perficiendum est, ut pure et emendate loquen-
tes, quod est Latine, verborum praeterea et pro-
priorum et tralatorum elegantiam persequamur:
in propriis, ut lautissima eligamus; in tralatis, ut
similitudinem secuti verecunde utamur alienis.
Sententiarum autem totidem genera sunt, quot 145
dixi esse laudum. Sunt enim docendi acutae, de-
lectandi quasi argutae, commovendi graves. Sed
et verborum est structura quaedam, duas res effi-
ciens, numerum et laevitatem, et sententiae suam
compositionem habent, ad probandam rem accom-
modatum ordinem. Sed earum omnium rerum, ut
aedificiorum, memoria est quasi fundamentum, lu-
men actio. Ea igitur omnia in quo erunt summa,
erit perfectissimus orator; in quo media, mediocri-
cis: in quo minima, deterrimus; sed appellabun-
tur omnes oratores, ut pictores appellantur etiam
mali, nec generibus inter sese, sed facultatibus dif-
ferent. Itaque nemo est orator, qui Demostheni
se similem nolit esse.



ARS ORATORIA.

PART II.

QUINTILIAN.

RHETORICE sic, ut opinor, optime divide- 1
tur, ut de arte, de artifice, de opere
dicamus. Ars erit, quae disciplina percipi debet;
ea est bene dicendi scientia. Artifex
est, qui percepit hanc artem, id est, orator, cuius
est summa bene dicere; opus, quod efficitur ab
artifice, id est, bona oratio... Dicam non uti- 2
que quae invenero, sed quae placebunt; sicut hoc,
rhetoricen esse bene dicendi scientiam.
... Confirmatur autem esse artem eam breviter. 3
Nam sive, ut Cleanthes voluit, ars est *potestas viam*,
id est ordinem, *efficiens*; esse certe viam atque ordinem
in bene dicendo nemo dubitaverit: sive ille ab
omnibus fere probatus finis observatur, artem con-
stare ex perceptionibus consentientibus et coexer-
citatis ad finem utilem vitae; jam ostendemus nihil
non horum in rhetorice inesse. Quid? quod et
inspectione et exercitatione ut artes ceterae con-
stat? Nec potest ars non esse, si est ars dialectice,
quod fere constat, cum ab ea specie magis quam
genere differat. Sed nec illa omittenda sunt, qua
in re aliis se inartificialiter aliis artificialiter gerat,

- in ea esse artem ; et in eo, quod, qui didicerit, melius faciat, quam qui non didicerit, esse artem . . .
- 4 Si vero est bene dicendi scientia, quem nos finem sequimur, ut sit orator imprimis vir bonus ; utilem certe esse eam confitendum est.
- 5 Consummatos plus doctrinae debere quam naturae, putabo. . . Natura materia doctrinae est ; haec fingit, illa fingitur. Nihil ars sine materia ; materiae etiam sine arte pretium est : ars summa materia optima melior.
- 6 Ante omnia ne sit vitiosus sermo nutricibus. Has primum audiet puer, harum verba effingere imitando conabitur. Et natura tenacissimi sumus eorum, quae rudibus annis percepimus ; ut sapor, quo nova imbuas, durat, nec lanarum colores, quibus simplex ille candor mutatus est, elui possunt. Et haec ipsa magis pertinaciter haerent, quo deteriora sunt. Nam bona facile mutantur in pejus ; numquando in bonum verteris vitia ? Non assuecat ergo, ne dum infans quidem est, sermoni, qui
- 7 dediscendus sit. . . Id in primis cavere oportebit, ne studia, qui amare nondum potest, oderit, et amaritudinem semel perceptam etiam ultra rudes annos reformidet. Lusus hic sit : et rogetur, et laudetur, et nunquam non fecisse se gaudeat.
- 8 Quaedam vero non docentium sunt, sed discendentium. . . Quare plurima petamus a nobis, et cum causis deliberemus, cogitemusque, homines ante invenisse artem quam docuisse. . . Nemo expectet, ut alieno tantum labore sit disertus. Vigilandum, durandum, enitendum, pallendum est, facienda sua cuique vis, suus usus, sua ratio ; non respiciendum ad haec, sed in promptu habenda ; nec tanquam tradita, sed tanquam innata. Nam via demon-

strari potest, velocitas sua cuique ; verum ars satis praestat, si copias eloquentiae ponit in medio ; nostrum est uti eis scire. . . Erat rhetorice res prorsus 9 facilis ac parva, si uno et brevi praescripto contineretur; sed mutantur pleraque causis, temporibus, occasione, necessitate. . . Expedit autem saepe mutare ex illo constituto traditoque ordine aliqua, et interim decet; ut in statuis atque picturis videmus variari habitus, vultus, status. . . Multo labore, assiduo studio, varia exercitatione, plurimis experimentis, altissima prudentia, praesentissimo consilio constat ars dicendi. . . Late fusum opus est, et multiplex, et prope quotidie novum, et de quo nunquam dicta erunt omnia.

Est certe aliquid consummata eloquentia, neque 10 ad eam pervenire natura humani ingenii prohibet. Quod si non contingat, altius tamen ibunt, qui ad summa nitentur, quam qui, praesumpta desperatione quo velint evadendi, protinus circa ima substiterint. . . Sed cur deficiat animus? Natura enim 11 perfectum oratorem esse non prohibet, turpiterque desperatur quidquid fieri potest. . . Vereor tamen, 12 ne aut magna nimium videar exigere, qui eundem virum bonum esse et dicendi peritum velim; aut multa, qui tot artibus in pueritia discendis morum quoque praecepta et scientiam juris civilis, praeter ea quae de eloquentia tradebantur, adjecerim; quique haec operi nostro necessaria esse crediderint, velut moram rei perhorrescant, et desperent ante experimentum. Qui primum renuntient sibi, quanta sit humani ingenii vis, quam potens efficiendi quae velit. . . Tum cogitent, quantam rem petant, quamque nullus sit hoc proposito praemio labor recusandus. Quod si mente conceperint,

- huic quoque parti facilius accedent, ut ipsum iter neque impervium neque saltem durum putent. . . Neque enim aut tam perplexa, aut tam numerosa sunt, quae promuntur, ut non paucorum admodum annorum intentione discantur. Longam enim facit operam, quod repugnamus. . . Omnia breviora
13 reddet ordo, et ratio, et modus. . . Discendi ratio talis, ut non multos annos poscat. . . Reliqua est, quae vires cito facit, cum fecit, tuetur, consuetudo. Rerum cognitio quotidie crescit. . . Breve nobis tempus nos facimus. Quantulum enim studiis impartimur? Alias horas vanus salutandi labor, alias datum fabulis ctium, alias spectacula, alias convivia trahunt. Adjice tot genera ludendi, et insanam corporis curam; trahat inde peregrinatio, rura, calculatorum anxiae sollicitudines, multae causae libidinum et vinum et flagitiosus omni genere voluptatum animus; ne ea quidem tempora idonea, quae supersunt. Quae si omnia studiis impenderentur, jam nobis longa aetas, et abunde satis ad
14 discendum spatia viderentur. . . Verum etiamsi quis summa desperet, (quod cur faciat, cui ingenium, valetudo, facultas, praeceptores non deerunt?) tamen est, ut Cicero ait, pulchrum *in secundis tertiusque consistere*. . . Ut transeundi spes non sit, magna tamen est dignitas subsequendi. . . Ipsam igitur orandi majestatem, qua nihil dii immortales melius homini dederunt, et qua remota muta sunt omnia, et luce praesenti ac memoria posteritatis carent, toto animo petamus, nitamurque semper ad optima, quod facientes aut evademos in summum aut certe multos infra nos videbimus.
15 Verum haec, quam instituere conamur, et cujus imaginem animo concepimus, quae bono viro con-

venit, quaeque est vere rhetorice, virtus erit. . . Si virtus non est, ne perfecta quidem esse possit oratio. . . Oratorem autem instituimus illum perfectum, qui esse nisi vir bonus non potest: ideoque non dicendi modo eximiam in eo facultatem, sed omnes animi virtutes exigimus. . . Sitergo nobis orator, quem constituimus, is, qui a M. Catone finitur, vir bonus dicendi peritus; verum, id quod et ille posuit prius, et ipsa natura potius ac majus est, utique vir bonus. Id non eo tantum, quod, si vis illa dicendi malitiam instruxerit, nihil sit publicis privatisque rebus perniciosius eloquentia. . . Mutos enim nasci, et egere omni ratione satius fuisset, quam providentiae munera in mutuam perniciem convertere. Longius tendit hoc judicium meum. Neque enim tantum id dico, eum, qui sit orator, virum bonum esse oportere, sed ne futurum quidem oratorem nisi virum bonum. . . Hoc certe procul eximatur animo, rerum pulcherrimam eloquentiam cum vitiis mentis posse misceri. Facultas dicendi, si in malos incidit, et ipsa judicanda est malum; pejores enim illos facit, quibus contigit. . . Adde quod ne studio quidem operis pulcherrimi vacare mens nisi omnibus vitiis libera potest. . . Nihil est enim tam occupatum, tam multiforme, tot ac tam variis affectibus concisum atque laceratum, quam mala mens. Nam et cum insidiatur, spe, curis, labore distringitur; et jam cum sceleris compos fuit, sollicitudine, poenitentia, poenarum omnium expectatione torquetur. Quis inter haec litteris aut ulli bonaे arti locus? Non hercule magis quam frugibus in terra sentibus ac rubis occupata. . . At malis hominibus ex contemptu opinionis et ignorantia recti nonnunquam excidit ipsa

20 simulatio. . . Concedamus sane, quod minime natura patitur, repertum esse aliquem malum virum summe disertum: nihilo tamen minus oratorem eum negabo. . . Vir malus aliud dicat necesse est quam sentit. Bonos nunquam honestus sermo deficiet, nunquam rerum optimarum (nam iidem etiam prudentes erunt) inventio; quae etiamsi lenociniis destituta sit, satis tamen natura sua ornatur, nec quidquam non diserte, quod honeste, dicitur. . . An non talem quandam videtur finxisse Vergilius, quem in seditione vulgi jam faces et saxa jaculantis moderatorem dedit:

*Tum pietate gravem ac meritis si forte virum quem
Conspexere, silent, arrectisque auribus astant?*

Habemus igitur ante omnia virum bonum, post haec adjicet dicendi peritum :

Ille regit dictis animos, et pectora mulcet.

- 21 Neque defendet omnes orator, idemque portum illum eloquentiae suae salutarem non etiam piratis patefaciet, duceturque in advocationem maxime causa. . . Non enim fortuna causas vel justas vel improbas facit. Neque vero pudor obstet, quo minus susceptam, cum melior videretur, litem, cognita inter disceptandum iniquitate, dimittat, cum prius litigatori dixerit verum. . . Et certe non convenit ei, quem oratorem esse volumus, injusta tueri scientem. . . Jucundissima vero in oratore humanitas, facilitas, moderatio, benevolentia. Sed illa quoque diversa bonum virum decent: malos odisse, publica vice commoveri, ultum ire scelera et injurias; et omnia honesta.
- 22 Quando igitur orator est vir bonus, is autem

citra virtutem intelligi non potest; virtus, etiamsi quosdam impetus ex natura sumit, tamen perficienda doctrina est: mores ante omnia oratori studiis erunt excolendi, atque omnis honesti justique disciplina pertractanda... Id, quod est oratori necessarium, nec a dicendi paeceptoribus traditur, ab iis petere nimirum necesse est, apud quos remansit, evolvendis penitus auctoribus, qui de virtute praecipiunt; ut oratoris vita cum scientia divinarum rerum sit humanarumque conjuncta... Jam quidem pars illa moralis, quae dicitur Ethice, certe tota oratori est accommodata. Nam in tanta causarum varietate, nulla fere dici potest, cujus non aliqua in parte tractatus aequi ac boni reperiatur... Quae denique intelligi saltem 24 potest eloquentia hominis optima nescientis? Haec si ratione manifesta non essent, exemplis tamen crederemus. Siquidem et Periclem Anaxagorae physici constat auditorem fuisse, et Demosthenem, principem omnium Graeciae oratorum, deditis operam Platonis. Nam M. Tullius, non tantum se debere scholis rhetorum, quantum Academiae spatiis, frequenter ipse testatur... Haec sunt, quibus mens pariter atque oratio insurgant: quae vere bona, quid mitiget metus, coercent cupiditates, eximat nos opinionibus vulgi, animumque coelstem.

Juris quoque civilis necessaria huic viro 25 scientia est, et morum ac religionum ejus rei publicae, quam capesset. Nam qualis esse suasor in consiliis publicis privatisve poterit, tot rerum, quibus praecipue civitas continetur, ignarus?

A g e n d i autem initium sine dubio secundum 26 vires cujusque sumendum est. Neque ego annos

definiam... Modus mihi videtur quidam tenendus, ut neque praepropere destringatur immatura frons, et quidquid est illud adhuc acerbum, proferatur; nam inde et contemptus operis innascitur, et fundamenta jaciuntur impudentiae, et, quod est ubi cunque perniciosissimum, praevenit vires fiducia. Nec rursus differendum est tirocinium in senectutem; nam quotidie metus crescit, majusque fit semper, quod ausuri sumus, et, dum deliberamus, quando incipiendum sit, incipere jam serum est. Quare fructum studiorum viridem et adhuc dulcem promi decet, dum et venia et spes est, et paratus favor, et audere non dedecet.

- 27 Ante omnia futurus orator, cui in maxima celebritate et in media rei publicae luce vivendum est, assuescat jam a tenero non reformidare homines, neque solitaria et velut umbratica vita pallescere. Excitanda mens et attollenda semper est, quae in hujusmodi secretis aut languescit, et quandam velut in opaco situm dicit, aut contra tumescit inani persuasione; necesse est enim nimium tribuat sibi,
- 28 qui se nemini comparat... Ne id quidem tacendum, quod Ciceroni placet, nullum nostrum usquam negligentem esse sermonem; quidquid loquemur ubicunque, sit pro sua scilicet portione perfectum... Neque vero tanta esse unquam debet fiducia facilitatis, ut non breve saltem tempus, quod nusquam fere deerit, ad ea quae dicturi simus discienda sumamus... Neque enim quisquam est, qui causam, quam non didicerit, agat... Consuetudo et exercitatio facilitatem maxime parit; quae si paululum intermissa fuerit, non velocitas illa modo tardatur, sed ipsum os quoque concurrit... Studendum vero semper et ubique. Neque enim fere

tam est ullus dies occupatus, ut nihil lucrativae, ut Cicero Brutum facere tradit, operaे ad scriben-
dum aut legendum aut dicendum rapi aliquo mo-
mento temporis possit. . . Non est indulgendum 30
causis desidiae. Nam si nonnisi refecti, nonnisi hi-
lares, nonnisi omnibus aliis curis vacantes studen-
dum existimarimus, semper erit propter quod no-
bis ignoscamus. Quare in turba, itinere, conviviis
etiam faciat sibi cogitatio ipsa secretum. . . Est ta-
men lucubratio, quotiens ad eam integri ac refecti
venimus, optimum secreti genus.

In primis igitur omnis vitiosa jactatio est, elo-
quentiae tamen in oratore praecipue; affertque au-
dientibus non fastidium modo, sed plerumque etiam
odium. . . Ab aliis ergo laudemur; nam ipsos, ut
Demosthenes ait, *erubescere, etiam cum ab aliis lau-
dabimur, decet.* Neque hoc dico, non aliquando de
rebus a se gestis oratori esse dicendum, sicut eidem
Demostheni pro Ctesiphonte; quod tamen ita
emendavit, ut necessitatem id faciendi ostenderet,
invidiamque omnem in eum regereret, qui hoc se
coegisset. . . Eloquentiae ut indecora jactatio, ita
nonnunquam concedenda fiducia est. . . Ante om- 32
nia, ne, quod plerisque accidit, ab utilitate eum
causae praesentis cupidio laudis abducat. . . Nam
cum illa dicendi vitiosa jactatio inter plausores
suos detonuit, resurgit verae virtutis fortior fama;
nec judices, a quo sint moti, dissimulant; et doctis
creditur; nec est orationis vera laus, nisi cum fini-
ta est. . . Perit illa, quae plurimum oratori et auc-
toritatis et fidei affert, modestia, si a viro bono in-
rabulam latratoremque convertitur. . . Nam quae
fortia, dum dicuntur, videbantur, stulta, cum laese-
runt, vocantur.

- 33 Ne quis tanquam parva fastidiat grammatices elementa; non quia magnae sit operae consonantes a vocalibus discernere, ipsasque eas in semivocalium numerum mutarumque partiri; sed quia inter ora velut sacri hujus adeuntibus apparebit multa rerum subtilitas, quae non modo acuere ingenia puerilia, sed exercere altissimam quoque eruditio-
- 34 nem ac scientiam possit... Sed nihil ex grammatica nocuerit, nisi quod supervacuum est. An ideo minor est M. Tullius orator, quod idem artis hujus diligentissimus fuit, et in filio (ut epistolis apparent) recte loquendi asper quoque exactior? aut vim C. Caesaris fregerunt editi de analogia libri?
- 35 Plus exigunt laboris et curae, quae sequuntur. Hinc enim jam elocutionis rationem tractabimus, partem operis, ut inter omnes oratores convenit, difficillimam... Et Marcus Tullius inventionem quidem ac dispositionem prudentis hominis putat, eloquentiam oratoris. Ideoque praecipue circa praecepta partis hujus laboravit. Quod eum merito fecisse, etiam ipso rei, de qua loquimur, nomine palam declaratur. Eloqui enim hoc est, omnia, quae mente conceperis, promere atque ad audientes perferre; sine quo supervacula sunt priora, et similia gladio condito atque intra vaginam suam haerenti. Hoc itaque maxime docetur, hoc nullus nisi arte assequi potest, hic studium plurimum adhibendum; hoc exercitatio petit, hoc imitatio, hic omnis aetas consumitur; hoc maxime orator oratore praestantior.
- 36 Sed haec eloquendi praecepta, sicut cognitioni sunt necessaria, ita non satis ad vim dicendi valent, nisi illis firma quaedam facilitas, quae apud Graecos ἔξις nominatur, accesserit; ad quam scribendo plus

an legendo an dicendo conferatur, solere quaeri scio. Quod esset diligenti nobis examinandum cura, si qualibet earum rerum possemus una esse contenti. Verum ita sunt inter se connexa et indiscreta omnia, ut, si quid ex his defuerit, frustra sit in ceteris laboratum. Nam neque solida atque robusta fuerit unquam eloquentia, nisi multo stilo vires acceperit; et citra lectionis exemplum labor ille, carens rectore, fluit. Qui autem sciet, quo quaeque sint modo dicenda, nisi tamen in procinctu paratamque ad omnes casus habuerit eloquentiam, velut clausis thesauris incubabit.

Haec ut sciamus, atque eorum non significationem 37 modo, sed formas etiam mensurasque norimus, ut, ubicunque erunt posita, convenient, nisi multa lectione atque auditione assequi nullo modo possumus. . . Sed ut copia verborum sic paratur, ita non verborum tantum gratia legendum vel audiendum est. Nam omnium, quaecunque docemus, hoc sunt exempla potentiora etiam ipsis quae traduntur artibus, . . quia, quae doctor praecepit, orator ostendit. . . Lectio libera est, nec actionis impetu transcurrit; sed repetere saepius licet, sive dubites, sive memoriae affigere velis. . . Ac diu non nisi optimus 38 quisque, et qui credentem sibi minime fallat, legendus est, sed diligenter ac paene ad scribendi sollicitudinem; nec per partes modo scrutanda omnia, sed perfectus liber utique ex integro resumendus, praecipue oratio, cuius virtutes frequenter ex industria quoque occultantur. . . Illud vero utilissimum, nosse eas causas, quarum orationes in manus sumpserimus, et quotiens continget, utrinque habitas legere actiones: ut Demosthenis atque Aeschinoris inter se contrarias. . . Neque id statim legen-

ti persuasum sit, omnia, quae optimi auctores dixerint, utique esse perfecta. Nam et labuntur aliquando, et oneri cedunt, et indulgent ingeniorum suorum voluptati; nec semper intendunt animum, nonnunquam fatigantur; cum Ciceroni dormitare interim Demosthenes, Horatio vero etiam Homerius ipse videatur. . . Modesto tamen et circumspecto judicio de tantis viris pronuntiandum est, ne, quod plerisque accidit, damnent quae non intelligunt. . . Non ita difficilis supererit quaestio,

39 qui legendi sint incipientibus. . . Ego optimos quidem et statim et semper, sed tamen eorum candidissimum quemque et maxime expositum, velim. . .

40 Apud rhetorem initium sit *historica*, tanto

41 robustior quanto verior. . . Quae omnia vera esse sciet, si quis non orationes modo, sed historias etiam, namque in his contiones atque sententiae plerunque suadendi ac dissuadendi funguntur officio, legere maluerit, quam in commentariis rhetorum consenescere. . . Historia quoque alere oratorem quodam uberi jucundoque suco potest;

42 verum et ipsa sic est legenda, ut sciamus, plerasque ejus virtutes oratori esse vitandas. Est enim proxima poetis, et quodammodo carmen solutum, et scribitur ad narrandum, non ad probandum. . . Licet tamen nobis in digressionibus uti vel historico nonnunquam nitore. . . Neque illa Sallustiana brevitas, qua nihil apud aures vacuas atque eruditas potest esse perfectius, apud occupatum variis cogitationibus judicem, et saepius ineruditum, captanda nobis est; neque illa Livii lactea ubertas satis docebit eum, qui non speciem expositionis, sed fidem

43 quaerit. . . Historiam multi scripsere paeclare, sed nemo dubitat longe duos ceteris praferendos,

quorum diversa virtus laudem paene est parem consecuta. Densus et brevis et semper instans sibi Thucydides; dulcis et candidus et fusus Herodotus; ille concitatis, hic remissis affectibus melior; ille contionibus, hic sermonibus; ille vi, hic voluptate... At non historia cesserit Graecis, 44 nec opponere Thucydi Sallustium verear. Neque indignetur sibi Herodotus aequari T. Livium, cum in narrando mirae jucunditatis clarissimique candoris, tum in contionibus supra quam enarrari potest eloquentem; ita quae dicuntur omnia cum rebus tum personis accommodata sunt; affectus quidem, praecipueque eos qui sunt dulciores, ut parcissime dicam, nemo historicorum commendavit magis. Ideoque immortalem illam Sallustii velocitatem diversis virtutibus consecutus est.

A philosophorum vero lectione ut essent 45 multa nobis petenda, vitio factum est oratorum, qui quidem illis optima sui operis parte cesserunt. Nam et de justis, honestis, utilibus, iisque quae sint istis contraria, et de rebus divinis maxime dicunt et argumentantur acriter; et altercationibus atque interrogationibus oratorem futurum optime Socrati praeparant. Sed his quoque adhibendum est simile judicium, ut etiam cum in rebus versemur iisdem, non tamen eandem esse condicionem sciamus litium ac disputationum, fori et auditorii, praceptorum et periculorum... Philosophorum, 46 ex quibus plurimum se traxisse eloquentiae M. Tullius confitetur, quis dubitet Platonem esse praecipuum, sive acumine disserendi, sive eloquendi facultate divina quadam et Homerica? Multum enim supra prosam orationem, et quam

pedestrem Graeci vocant, surgit, ut mihi non hominis ingenio, sed quodam Delphico videatur oraculo instinctus. Quid ego commemoren Xenophontis illam jucunditatem in affectatam, sed quam nulla consequi affectatio possit? ut ipsae sermonem finxisse Gratiae videantur, et, quod de Pericle veteris comoediae testimonium est, in hunc transferri justissime possit, in labris ejus sedisse quandam persuadendi deam. Quid reliquorum Socratis elegantiam? Quid Aristotelem? quem dubito scientia rerum, an scriptorum copia, an eloquendi suavitate, an inventionum acuminem, an varietate operum clariorem putem. . .

- 47 Supersunt, qui de philosophia scripserint, quo in genere paucissimos adhuc eloquentes litterae Romanae tulerunt. Idem igitur M. Tullius, qui ubique, etiam in hoc opere Platonis aemulus extitit.
- 48 Plurimum dicit oratori conferre Theophrastus lectionem poetarum, multique ejus judicium sequuntur; neque immerito. Namque ab his in rebus spiritus et in verbis sublimitas et in affectibus motus omnis et in personis decor petitur. . . Nam poetas certe legendos oratori futuro concesserint: num igitur hi sine musice? ac si quis tam caecus animi est, ut de aliis dubitet, illos certe, qui carmina ad lyram composuerunt. . . Meminerimus tamen, non per omnia poetas esse oratori sequendos, nec libertate verborum, nec licentia figurarum; genus ostentationi comparatum, et praeter id, quod solam petit voluptatem. . . Igitur, ut Aratus ab Jove incipiendum putat, ita nos rite coepturi ab Homero videmur. Hic enim, quemadmodum ex Oceano dicit ipse annium fontiumque cursus

initium capere, omnibus eloquentiae partibus exemplum et ortum dedit. Hunc nemo in magnis rebus sublimitate, in parvis proprietate superaverit. Idem laetus ac pressus, jucundus et gravis, tum copia tum brevitate mirabilis, nec poetica modo sed oratoria virtute eminentissimus. Nam ut de laudibus, exhortationibus, consolationibus taceam; nonne vel nonus liber, quo missa ad Achillem legatio continetur, vel in primo inter duces illa contentio, vel dictae in secundo sententiae, omnes litium ac consiliorum explicant artes? Affectus quidem vel illos mites vel hos concitatos, nemo erit tam indoctus, qui non in sua potestate hunc auctorem habuisse fateatur. Age vero, non utriusque operis ingressus in paucissimis versibus legem prooemiorum, non dico servavit, sed constituit? . . Narrare vero quis brevius, quam qui mortem nuntiat Patrocli, quis significans potest, quam qui Curetum Aetolorumque proelium exponit? Jam similitudines, amplificationes, exempla, digressus, signa rerum et argumenta ceteraque probandi ac refutandi sunt ita multa, ut etiam qui de artibus scripserunt plurimi harum rerum testimonium ab hoc poeta petant. Nam epilogus quidem quis unquam poterit illis Priami roganis Achilem precibus aequari? Quid? in verbis, sententiis, figuris, dispositione totius operis, nonne humani ingenii modum excedit? . . Verum hic omnes sine dubio et in omni genere eloquentiae procul a se reliquit. . . Raro assurgit 52Hesiodus, magna pars ejus in nominibus est occupata; tamen utiles circa pracepta sententiae, levitasque verborum et compositionis probabilis, daturque ei palma in illo medio genere dicendi. . . Novem vero Lyricorum longe Pindarus

princeps spiritus magnificentia, sententiis, figuris,
beatissima rerum verborumque copia et velut quodam eloquentiae flumine; propter quae Horatius
53 eum merito credidit nemini imitabilem. . . Antiqua comoedia cum sinceram illam sermonis Attici gratiam prope sola retinet, tum facundissimae libertatis, etsi est insectandis vitiis praecipua, plurimum tamen virium etiam in ceteris partibus habet. Nam et grandis et elegans et venusta; et nescio an ulla, post Homerum tamen, quem ut Achillem semper excipi par est, aut similior sit oratoribus aut ad oratores faciendos aptior. Plures ejus auctores; Aristophanes tamen et Eupolis Cratinusque praecipui. Tragoedias primus in lucem Aeschylus protulit, sublimis et gravis et grandiloquus saepe usque ad vitium, sed rudis in plerisque et incompositus. . . Sed longe clarius illustraverunt hoc opus Sophocles atque Euripides, quorum in dispari dicendi via uter sit poeta melior, inter plurimos quaeritur. . . Illud quidem nemo non fateatur necesse est, iis, qui se ad agendum comparant, utiliorem longe fore Euripiden. Namque is et sermone magis accedit oratorio generi; et sententiis densus, et in iis, quae a sapientibus tradita sunt, paene ipsis par, et dicendo ac respondendo cuilibet eorum, qui fuerunt in foro diserti, comparandus; in affectibus vero cum omnibus mirus tum in iis, qui miseratione constant, facile praecipuus. Et admiratus maxime est, ut saepe testatur, et eum secutus, quanquam in opere diverso, Menander, qui vel unus, meo quidem judicio, diligenter lectus ad cuncta, quae praecipimus, efficienda sufficiat; ita omnem vitae imaginem expressit, tanta in eo inveniendi copia et elo-

quendi facultas, ita est omnibus rebus, personis, affectibus accommodatus.

Ut apud illos Homerus, sic apud nos Vergilius auspicatissimum dederit exordium, omnium ejus generis poetarum Graecorum nostrorumque haud dubie proximus... Et hercule ut illi naturae coelesti atque immortali cesserimus, ita curae et diligentiae vel ideo in hoc plus est, quod ei fuit magis laborandum, et quantum eminentibus vincimur, fortasse aequalitate pensamus. Ceteri omnes longe sequentur. Nam Macer et Lucretius legendi quidem, sed non ut phrasin, id est, corpus eloquentiae faciant; elegantes in sua quisque materia, sed alter humilis, alter difficilis... Ennius sicut sacros vetustate lucos adoremus, in quibus grandia et antiqua robora jam non tantum habent speciem quantam religionem. Propiores alii, atque ad hoc, de quo loquimur, magis utiles. Lascivus quidem in herois quoque Ovidius, et nimium amator ingenii sui; laudandus tamen in partibus... Satira quidem tota nostra est, in qua primus insignem laudem adeptus Lucilius quosdam ita deditos sibi adhuc habet amatores, ut eum non ejusdem modo operis auctoribus, sed omnibus poetis, praeferre non dubitent... Multum est tertiior ac purus magis Horatius, et, non labor ejus amore, praecipius. Multum et verae gloriae, quamvis uno libro, Persius meruit... At Lyricorum idem Horatius fere solus legi dignus. Nam et insurgit aliquando, et plenus est jucunditatis et gratiae, et variis figuris et verbis felicissime audax... Ovidii Medea videtur mihi ostendere, quantum ille vir praestare potuerit, si ingenio suo imperare quam indulgere maluisset.

56 Sequitur oratorum ingens manus, ut cum decem simul Athenis aetas una tulerit. Quorum longe princeps Demosthenes, ac paene lex orandi fuit; tanta vis in eo, tam densa omnia, ita quibusdam nervis intenta sunt, tam nihil otiosum, is dicendi modus, ut nec quod desit in eo, nec quod redundet invenias. Plenior Aeschines et magis fusus et grandiori similis, quo minus strictus est; carnis tamen plus habet, minus lacertorum. Dulcis in primis et acutus Hyperides, sed minoribus causis, ut non dixerim utilior, magis par. His aetate Lysias major, subtilis atque elegans et quo nihil, si oratori satis est docere, quaeras perfectius. Nihil enim est inane, nihil arcessitum; puro tamen fonti quam magno flumini propior. Isocrates in diverso genere dicendi nitidus et comptus, et palaestrae quam pugnae magis accommodatus, omnes dicendi Veneres sectatus est, nec immerito; auditoriis enim se, non judiciis, compararat; in inventione facilis, honesti studiosus, in compositione adeo diligens, ut cura ejus reprehendatur... Oratores vero vel praecipue Latinam eloquentiam parem facere Graecae possint. Nam Ciceronem cuicunque eorum fortiter opposuerim. Nec ignoro, quantam mihi concitem pugnam, cum praesertim non sit id propositi, ut eum Demostheni comparem hoc tempore; neque enim attinet, cum Demosthenem in primis legendum vel ediscendum potius putem. Quorum ego virtutes plerasque arbitror similes, consilium, ordinem, dividendi, praeparandi, probandi rationem, omnia denique quae sunt inventionis. In eloquendo est aliqua diversitas; densior ille, hic copiosior; ille concludit astrictius, hic latius; pugnat ille acumine semper, hic

frequenter et pondere ; illi nihil detrahi potest, huic nihil adjici ; curae plus in illo, in hoc naturae. Salibus certe et commiseratione, qui duo plurimum affectus valent, vincimus. . . Cedendum vero in hoc, quod et prior fuit et ex magna parte Ciceronem, quantus est, fecit. Nam mihi videtur M. Tullius, cum se totum ad imitationem Graecorum contulisset, effinxisse vim Demosthenis, copiam Platonis, jucunditatem Isocratis. Nec vero quod in quoque optimum fuit, studio consecutus est tantum ; sed plurimas vel potius omnes ex se ipso virtutes extulit immortalis ingenii beatissima ubertas. . . C. vero 58 Caesar si foro tantum vacasset, non aliis ex nostris contra Ciceronem nominaretur. Tanta in eo vis est, id acumen, ea concitatio, ut illum eodem animo dixisse, quo bellavit, appareat ; exornat tamen haec omnia mira sermonis, cujus proprie studiosus fuit, elegantia. . . Senecae et multae alioqui et magnae virtutes fuerunt, ingenium facile et copiosum, plurimum studii, multa rerum cognitio.

Et haec quidem auxilia extrinsecus adhibentur ; 59 in iis quae nobis ipsis paranda sunt, ut laboris sic utilitatis etiam longe plurimum affert stilus. Nec immerito M. Tullius hunc *optimum effectorem ac magistrum dicendi* vocavit. . . Illic radices, illic fundamenta sunt, illic opes velut sanctiore quodam aerario reconditae, unde ad subitos quoque casus, cum res exiget, proferantur. . . Nam sine hac quidem conscientia ipsa illa ex tempore dicendi facultas inanem modo loquacitatem dabit, et verba in labris nascentia. . . Ac nescio an, si utrumque cum 60 cura et studio fecerimus, invicem prosit, ut scribendo dicamus diligentius, dicendo scribamus facilius. Scribendum ergo, quotiens licebit.

- 61 Jam cum omnis oratio tres habeat virtutes, ut
emendata, ut dilucida, ut ornata sit (quia dicere apte,
quod est praecipuum, plerique ornatui subjiciunt);
totidem vitia, quae sunt supra dictis contraria:
emendate loquendi regulam, quae grammatices prior pars est, exāminet. . . Igitur, quam
62 Graeci *φράσιν* vocant, Latine dicimus elocutionem. Ea spectatur verbis aut singulis aut conjunctis. In singulis intuendum est, ut sint Latina, per-
spicua, ornata, ad id quod efficere volumus accom-
modata; in conjunctis, ut emendata, ut collocata,
63 ut figurata. . . Prima barbarismi ac soloecismi foeditas absit. . . Absurdum forsitan videatur dicere, barbarismum, quod est unius verbi vitium, fieri per numeros aut genera sicut soloecismum. . . Nam id fateor accidere voce una, non tamen aliter, quam si sit aliquid, quod vim alterius vocis obtineat, ad quod vox illa referatur; ut soloecismus ex complexu fiat eorum, quibus res significantur et voluntas ostenditur. Atque ut omnem effugiam cavillationem, sit aliquando in uno verbo, nunquam in solo verbo. . . Soloecismi porro vitium non est
64 in sensu sed in complexu. . . Perspicuitas in verbis praecipuam habet proprietatem. . . At obscuritas fit etiam verbis ab usu remotis. . . Etiam interjectione (qua et oratores et historici frequenter utuntur, ut medio sermone aliquem inserant sensum) impediri solet intellectus, nisi, quod interponitur, breve est. . . Vitanda in primis ambiguitas.
65 . . . Est etiam in quibusdam turba inanium verborum. . . Alii, brevitatem aemulati, necessaria quoque orationi subtrahunt verba. . . At ego otiosum sermonem dixerim, quem auditor suo ingenio intelligit. . . Quare non, ut intelligere possit, sed, ne

omnino possit non intelligere, curandum... Nobis prima sit virtus perspicuitas, propria verba, rectus ordo, non in longum dilata conclusio; nihil neque desit neque superfluat. Ita sermo et doctis probabilis et planus imperitis erit.

Cum sit duplex quaestio, quod modo et quae 66 maxime scribi oporteat, jam hinc ordinem sequar. Sit primo vel tardus, dum diligens, stilus; quaeramus optima, nec protinus offerentibus se gaudemus; adhibeatur judicium inventis, dispositio probatis. Delectus enim rerum verborumque agendum est, et pondera singulorum examinanda. Post subeat ratio collocandi, versenturque omni modo numeri; non, ut quodque se proferet verbum, occupet locum... Oratoris quidem alia condicio est. Itaque hanc moram et sollicitudinem initiis impero. Nam primum hoc constituendum, hoc obtinendum est, ut quam optime scribamus; celeritatem dabit consuetudo. Paulatim res facilius se ostendent, verba respondebunt, compositio prosequetur, cuncta denique ut in familia bene instituta in officio erunt. Summa haec est rei: cito scribendo non fit, ut bene scribatur; bene scribendo fit, ut cito. Sed tum maxime, cum facultas illa contigerit, resistamus, et provideamus, et ferentes equos frenis quibusdam coerceamus; quod non tam moram faciet, quam novos impetus dabit. Neque enim rursus eos, qui robur aliquod in stilo fecerint, ad infelicem calumniandi se poenam alligandos puto. Nam quomodo sufficere officiis civilibus possit, qui singulis actionum partibus insenescat?... Protinus ergo adhibere curam rectius erit, atque ab initio sic opus ducere, ut caelandum, non ex integrō fabricandum sit. Aliquando tamen affectus seque-

- mur, in quibus fere plus calor quam diligentia valet.
- 67 . . . Non ideo tamen sola est agenda cura verborum. . . Curam ergo verborum, rerum volo esse sollicitudinem. Nam plerumque optima rebus cohaerent, et cernuntur suo lumine; at nos quaerimus illa, tanquam lateant seseque subducant. Ita nunquam putamus circa id esse, de quo dicendum est, sed ex aliis locis petimus, et inventis vim afferimus. . . Sunt optima minime arcessita, et simplicibus atque ab ipsa veritate profectis similia. . . Ista quaerendi, judicandi, comparandi anxietas, dum discimus, adhibenda est, non dum dicimus. . . Sit igitur cura elocutionis quam maxima, dum sciamus tamen, nihil verborum causa esse faciendum, cum verba ipsa
- 68 rerum gratia sint reperta. . . Atque liberum arbitris locum et quam altissimum silentium scribentibus maxime convenire nemo dubitaverit. Non tamen protinus audiendi, qui credunt aptissima in hoc nemora silvasque, quod illa coeli libertas, locorum amoenitas sublimem animum et beatiorem spiritum parent. Mihi certe jucundus hic magis quam studiorum hortator videtur esse secessus. . . Namque illa, quae ipsa delectant, necesse est avocent ab intentione operis destinati. . . Quare silvarum amoenitas, et praeterlabentia flumina, et inspirantes ramis arborum aurae, volucrumque cantus, et ipsa late circumspiciendi libertas ad se trahunt; ut mihi remittere potius voluptas ista videatur cogitationem, quam intendere.
- 69 Quapropter historiae nonnunquam ubertas in aliqua exercendi stili parte ponenda, et dialogorum libertate gestiendum. Ne carmine
- 70 quidem ludere contrarium fuerit. . . Narrationes stilo componi, quanta maxima possit adhibita dili-

gentia, volo... Narrationibus non inutiliter sub-jungitur opus destruendi confirmandique eas... Inde paulatim ad majora tendere incipiet, laudare claros viros et vituperare improbos, quod non simplicis utilitatis opus est. Namque et ingenium exercetur multiplici variaque materia, et animus contemplatione recti pravique formatur, et multa inde cognitio rerum venit, et exemplis, quae sunt in omni genere causarum potentissima, jam tum instruitur, cum res poscet, usurus. Hinc illa quoque exercitatio subit comparationis, ut melior uterve deterior... Theses autem, quae sumuntur ex rerum comparatione, ut *rusticane vita an urbana potior; jurisperiti an militaris viri laus major*, mire sunt ad exercitationem dicendi speciosae atque uberes, quae vel ad suadendi officium vel etiam ad judiciorum disceptationem juvant plurimum... Declamationes vero, 71 quales in scholis rhetorum dicuntur, si modo sunt ad veritatem accommodatae et orationibus similes, non tantum dum adolescit juvenis sunt utilissimae, quae inventionem et dispositionem pariter exercent, sed etiam cum est consummatus ac jam in foro clarus... Quare declamatio, quoniam est judiciorum consiliorumque imago, similis esse debet veritati; quoniam autem aliquid in se habet ἐπιδεικτικὸν, non nihil sibi nitoris assumere... Vertere Graeca in Latinum veteres nostri oratores optimum judicabant... Et manifesta est exercitationis hujusce ratio. Nam et rerum copia Graeci auctores abundant, et plurimum artis in eloquentiam intulerunt; et hos transferentibus verbis uti optimis licet, omnibus enim utimur nostris. Sed et illa ex Latinis conversio multum et

72
73

ipsa contulerit... Nec aliena tantum transferre, sed etiam nostra pluribus modis tractare proderit: ut ex industria sumamus sententias quasdam, easque versemus quam numerosissime, velut eadem cera in alias aliasque formas duci solet. Plurimum autem parari facultatis existimo ex simplicissima quaque materia. Nam illa multiplici personarum, causarum, temporum, locorum, dictorum, factorum diversitate facile delitescat infirmitas, tot se undique rebus, ex quibus aliquam apprehendas, offerentibus. Illud virtutis indicium est, fundere quae natura contracta sunt, augere parva, variatem similibus, voluptatem expositis dare, et bene dicere multa de paucis.

- 74 Neque ignoro quosdam esse, qui curam omnem compositionis excludant, atque illum horridum sermonem, ut forte fluxerit, modo magis naturalem, modo etiam magis virilem esse contendant. Qui si id demum naturale esse dicunt, quod a natura primum ortum est, et quale ante cultum fuit, tota haec ars orandi subvertitur... Quae porro ars statim fuit? quid non cultu mitescit? cur vites coeremus manu? cur eas fodimus? rubos arvis excidimus? terra et hos generat; mansuefacimus animalia? indomita nascuntur. Verum id est maxime naturale, quod fieri natura optime patitur... Cur ergo vires ipsas specie solvi putent, quando res nec ulla sine arte satis valeat, et comitetur semper artem decor?... Ideoque eruditissimo cuique persuasum est, valere eam plurimum non ad delectationem modo, sed ad motum quoque animorum. Primum, quia nihil intrare potest in affectus, quod in aure velut quodam vestibulo statim offendit; deinde, quod natura ducimur ad modos... In omni

compositione tria sunt genera necessaria: ordo, junctura, numerus. Primum igitur de ordine. Ejus observatio in verbis est singulis et contextis. . . Nec non et illud nimiae superstitionis, uti quaeque sint tempore, ea facere etiam ordine priora. . . Junctura sequitur. Est in verbis, incisis, membris, periodis; omnia namque ista et virtutes et vicia in complexu habent. . . Sed transeamus ad numeros. Omnis structura ac dimensio et copulatio vocum constat aut numeris, (numeros ῥυθμοὺς accipi volo,) aut μέτροις, id est dimensione quadam. . . Quod, etiamsi constat utrumque pedibus, habet tamen non simplicem differentiam. Nam rhythmi, id est numeri, spatio temporum constant, metra etiam ordine; ideoque alterum esse quantitatis vindetur, alterum qualitatis. . . In omni quidem corpore, totoque (ut ita dixerim) tractu, numerus insertus est. Neque enim loqui possumus nisi syllabis brevibus ac longis, ex quibus pedes fiunt. Magis tamen et desideratur in clausulis, et apparet. . . Non igitur durum sit neque abruptum, quo animi velut respirant ac reficiuntur. Haec est sedes orationis, hoc auditor expectat, hic laus omnis declamat. Proximam clausulis diligentiam postulant initia, nam et in haec intentus auditor est. . . Nam ut initia clausulaeque plurimum momenti habent, quotiens incipit sensus aut desinit; sic in mediis quoque sunt quidam conatus, iisque leviter insistunt. Currentium pes, etiamsi non moratur, tamen vestigium facit. Itaque non modo membra atque incisa bene incipere atque cludi decet, sed etiam in iis, quae non dubie contexta sunt nec respiratione utuntur, illi vel occulti gradus. . . Satis igitur in hoc nos componet multa scribendi exercitatio. . .

76

77

78

Neque vero tam sint intuendi pedes, quam universa comprehensio. . . Optime autem de illa judicant aures, quae plena sentiunt, et parum expleta desiderant, et fragosis offenduntur, et levibus mulcentur, et contortis excitantur, et stabilia probant, clauda deprehendunt, redundantia ac nimia fastidiunt. Ideoque docti rationem componendi intelligunt, etiam indocti voluptatem. Quaedam vero tradi-

79 arte non possunt. . . Compositio debet esse honesta, jucunda, varia. Ejus tres partes ordo, conjunctio, numerus. Ratio in adjectione, detractione, mutatione; usus pro natura rerum, quas dicimus: cura magna, ut sentiendi atque eloquendi prior sit; dissimulatio curae praecipua, ut numeri sponte fluxisse, non arcessiti et coacti esse videantur.

80 Proxima stilo cogitatio est, quae et ipsa vires ab hoc accipit, estque inter scribendi laborem extemporalemque fortunam media quaedam, et nescio an usus frequentissimi. Nam scribere nec ubique nec semper possumus; cogitationi temporis ac loci plurimum est. . . Memoriae quoque plerumque inhaerent fidelius, quae nulla scribendi securitate laxantur. Sed ne ad hanc quidem vim cogitandi perveniri potest aut subito aut cito. Nam primum facienda multo stilo forma est, quae nos etiam cogitantes sequatur; tum assumendum usus paulatim, ut pauca primum complectamus animo, quae reddi fideliter possint; mox per incrementa tam modica, ut onerari se labor ille non sentiat, augenda vis et exercitatione multa continenda est, quae quidem maxima ex parte memoria constat. . .

81 Sed si forte aliquis inter dicendum effulserit extemporalis color, non superstitione cogitatis demum est inhaerendum. . . Nam ut primum est domo af-

ferre paratam dicendi copiam et certam ; ita refutare temporis munera longe stultissimum est. Quare cogitatio in hoc praeparetur, ut nos fortuna decipere non possit, adjuvare possit. . . Alioqui vel extemporalem temeritatem malo, quam male cohaerentem cogitationem. Pejus enim quaeritur retrorsus, quia, dum illa desideramus, ab aliis avertimur, et ex memoria potius repetimus, quam ex materia.

In primis vero abundare debet orator exemplorum copia, cum veterum tum etiam novorum ; adeo ut non ea modo, quae conscripta sunt historiis aut sermonibus velut per manus tradita, quaeque quotidie aguntur, debeat nosse, verum ne ea quidem, quae sunt a clarioribus poetis facta, negligere. Nam illa quidem priora aut testimoniorum aut judicatorum obtinent locum ; sed haec quoque aut vetustatis fide tuta sunt, aut ab hominibus magnis praceptorum loco facta creduntur.

Ex his ceterisque lectione dignis auctoribus et verborum sumenda copia est, et varietas figurarum, et componendi ratio, tum ad exemplum virtutum omnium mens dirigenda. Neque enim dubitari potest, quin artis pars magna contineatur imitatione. Nam ut invenire primum fuit, estque praecipuum ; sic ea, quae bene inventa sunt, utile sequi. . . Turpe etiam illud est, contentum esse id consequi quod imiteris. Nam rursus quid erat futurum, si nemo plus effecisset eo quem sequebatur ? Nihil in poetis supra Livium Andronicum, nihil in historiis supra Pontificum annales haberemus ; ratis adhuc navigaretur ; non esset pictura, nisi quae lineas modo extremas umbrae, quam corpora

- 84 in sole fecissent, circumscriberet... Primum, quos imitemur, nam sunt plurimi, qui similitudinem pessimi cujusque et corruptissimi concupierunt; tum in ipsis, quos elegerimus, quid sit, ad quod nos efficiendum comparemus. Nam in magnis quoque auctoribus incident aliqua vitiosa, et a doctis inter ipsos etiam mutuo reprehensa... Tum in suscipiendo onere consulat suas vires. Nam quaedam sunt imitabilia, quibus aut infirmitas naturae non sufficiat, aut diversitas repugnet... Id quoque vitandum, in quo magna pars errat, ne in oratione poetas nobis et historicos, in illis operibus oratores aut declamatores imitandos putemus. Sua cuique proposita lex, suus cuique decor est. Nam nec commedia cothurnis assurgit, nec contra tragedia socculo ingreditur. Habet tamen omnis eloquentia aliquid commune; imitemur quod commune est...
- 85 Itaque ne hoc quidem suaserim, uni se alicui proprie, quem per omnia sequatur, addicere... Cum totum exprimere quem elegeris, paene sit homini inconcessum; plurium bona ponamus ante oculos, ut aliud ex alio haereat, et quod cuique loco conveniat, aptemus... Qui vero etiam propria his bona adjecerit, ut suppleat quae deerant, circumcidat, si quid redundabit; is erit, quem quaerimus, perfectus orator.
- 86 Proxima est cura, ut dicamus apte... Ipsum etiam eloquentiae genus alios aliud decet. Nam neque tam plenum et erectum et audax et praecultum senibus convenerit, quam pressum et mite et limatum... In juvenibus etiam uberiora paulo et paene periclitantia feruntur. At in iisdem siccum et sollicitum et contractum dicendi propositionum plerumque affectatione ipsa severitatis invisum

est... Idem dictum saepe in alio liberum, in alio 87
furiosum, in alio superbū est... Quis vero nesciat,
quanto aliud dicendi genus poscat gravitas sena-
toria, aliud aura popularis?.. Indecorum est super
haec omne nimium, ideoque etiam quod natura rei
satis aptum est, nisi modo quoque temperatur, gra-
tiam perdit. . . Proinde intuenda sexus, dignitas, 88
aetas. Sed mores praecipue discriminēt.

Tria sunt item, quae praestare debeat orator, ut 89
doceat, moveat, delectet. . . Credendum 90
est igitur his, quorum auctoritatem secutus est
Cicero, tria esse, quae in omni disputatione quae-
rantur, an sit, quid sit, quale sit? quod ipsa
nobis etiam natura praescribit. . . Est igitur, ut 91
dixi, unum genus, quo laus ac vituperatio contine-
tur, sed est appellatum a parte meliore laudativum;
idem alii *demonstrativum* vocant. . . Alterum
est liberativum, tertium judiciale. Ceterae species in haec tria incident genera. . . Aris- 92
toteles tres faciendo partes orationis, judiciale, de-
liberativam, demonstrativam, paene et ipse oratori
subjicit omnia; nihil enim non in haec cadit. . .
Valet autem in consiliis auctoritas plurimum. Nam 93
et prudentissimus esse haberique et optimus debet,
qui sententiae suae de utilibus atque honestis cre-
dere omnes velit. Quare in suadendo et dissua-
dendo tria primum spectanda erunt, quid sit de
quo deliberetur, qui sint qui delibe-
rent, qui sit qui suadeat. . .

Omnis autem orandi ratio, ut plurimi maximique 94
auctores tradiderunt, quinque partibus constat,
inventione, dispositione, elocutione,
memoria, pronuntiatione sive actione,
utroque enim modo dicitur. . . Nempe plurimum 95

in hoc laboris exhausimus, ut ostenderemus rhetorice bene dicendi scientiam, et utilem, et artem, et virtutem esse; materiam ejus res omnes, de quibus dicendum esset; eas in tribus fere generibus, demonstrativo, deliberativo, judicialique reperiri; orationem porro omnem constare rebus et verbis, in rebus intuendam inventionem, in verbis elocutionem, in utraque collocationem, quae memoria complecteretur, actio commendaret. Oratoris officium, docendi, movendi, delectandi partibus contineri, ex quibus ad docendum expositio et argumentatio, ad movendum affectus pertineret, quos per omnem quidem causam sed maxime tamen in ingressu ac fine dominari. Nam delectationem, quamvis in utroque sit eorum, magis tamen prias in elocutione partes habere... Nec immerito secunda quinque partium posita est dispositio, cum sine ea prior nihil valeat. Neque enim quamquam fusis omnibus membris statua sit, nisi collectetur, et si quam in corporibus nostris aliorumve animalium partem permutes et transferas, licet habeat eadem omnia, prodigium sit tamen. Et artus etiam leviter loco moti perdunt, quo vigerunt, usum, et turbati exercitus sibi ipsi sunt impedimento. Nec mihi videntur errare, qui ipsam rerum naturam stare ordine putant, quo confuso peritura sint omnia. Sic oratio carens hac virtute tumultuetur necesse est, et sine rectore fluitet, nec cohaereat sibi, multa repeatat, multa transeat, velut nocte in ignotis locis errans, nec initio nec fine proposito casum potius quam consilium sequatur.

97 ... Sed meminerimus, ipsam dispositionem plerumque utilitate mutari, nec eandem semper primam quaestionem ex utraque parte tractandam... Aliud

enim alii docere prius expedit; alioqui semper petitoris arbitrio diceretur. . . Neque enim partium est demum dispositio, sed in his 98 ipsis primus aliquis sensus et secundus et tertius; qui non modo ut sint ordine collocati, laborandum est, sed ut inter se vinci atque ita cohaerentes, ne commissura perluceat; corpus sit, non membra.

Nunc de judiciali genere, quod est praecipue multiplex, sed officiis constat duobus intentionis ac depulsionis. Cujus partes, ut plurimis auctoribus placuit, quinque sunt: prooemium, narratio, probatio, refutatio, peroratio. His adjecerunt quidam partitionem, propositionem, excessum. . . Verum ex his quas constitui partibus non, ut quidque primum dicendum, ita primum cogitandum est; sed ante omnia intueri oportet, quod sit genus causae? quid in ea quaeratur? quae prosint, quae noceant? deinde quid confirmandum sit ac refellendum? tum quo modo narrandum? . . Neque tamen eos probaverim, qui scribendum quoque prooemium novissime putant. Nam ut conferri materiam omnem, et, quid cuique sit opus, constare decet, antequam dicere aut scribere ordinamur; ita incipiendum ab his, quae prima sunt. . . Hoc adjicio, ut dicturus intueatur, quid, apud quem, 100 pro quo, contra quem, quo tempore, quo loco, quo rerum statu, qua vulgi fama dicendum sit, quid judicem sentire credibile sit, antequam incipimus, tum quid desideremus aut deprecemur. Ipsa illum natura eo ducet, ut sciat, quid primum dicendum sit. . . Multa autem sine dubio sunt et aliis partibus causae communia; nihil tamen in quaque melius dicitur, quam quod aequa bene dici alibi non possit.

101 Causa principii nulla alia est, quam ut auditorem, quo sit nobis in ceteris partibus accommodatior, praeparemus. Id fieri tribus maxime rebus, inter auctores plurimos constat, si benevolum, attentum, docilem fecerimus; non quia ista non per totam actionem sint custodienda, sed quia initis praecipue necessaria, per quae in animum judicis, ut procedere ultra possimus, admittimur. Benevolentiam aut a personis ducimus, aut a causis accipimus. . . Nam si judicem benevolum, attentum, docilem habeo; quid amplius debeam
102 optare, non reperio. . . Frequentissime vero prooemium decebit et sententiarum et compositionis et vocis et vultus modestia, adeo ut in genere causae etiam indubitabili fiducia se ipsa nimium exserere non debeat. Odit enim judex fere litigantis securitatem. . . Minime ostentari debet in principiis cura, quia videtur ars omnis dicentis contra judicem adhiberi. Sed ipsum istud evitare sum
103 mae artis est. . . Ex praeceptis veteribus manet, ne quod insolens verbum, ne audacius translatum, ne aut ab obsoleta vetustate aut poetica licentia sumpturn in principio deprehendatur. Nondum enim recepti sumus, et custodit nos recens audientium intentio. . . Turbari memoria, vel continuandi verba facultate destitui, nusquam turpius, cum vitiosum prooemium possit videri cicatrica facies; et pessimus certe gubernator, qui navem, dum portu egreditur, impegit. Modus principii pro causa. Nam brevius simplices, longius perplexae suspectaeque et infames desiderant. . . Evitanda est immodica ejus longitudo, ne in caput excrevisse videatur, et, quo praeparare debet, fatiget. . . Is ejus rei modus est, ut propositioni similior sit quam expositioni;

nec quomodo quidque sit actum, sed de quibus dicturus sit orator, ostendat. . . Pars deliberativa, 104
quae eadem suasoria dicitur, . . officiis constat duobus suadendi ac dissuadendi. Prooemio, quale est in judicialibus, non ubique eget, quia conciliatus est ei quisque, quem consultit. Initium tamen quocunque debet habere aliquam prooemii specimen; neque enim abrupte, nec unde libuit, incipendum, quia est aliquid in omni materia naturaliter primum. . . Nunc ad suasoriam, in qua, etiam cum prooemio utimur, breviore tamen et velut quodam capite tantum et initio debemus esse contenti. . . Neque sum in hac opinione, qua quidam, ut eo 105
distare prooemium ab epilogo credam, quod in hoc praeterita, in illo futura dicantur; sed quod in ingressu parcus et modestius praetentanda sit judicis misericordia, in epilogo vero liceat totos effundere affectus, et fictam orationem induere personis, et defunctos excitare, et pignora reorum producere; quae minus in exordiis sunt usitata.

Maxime naturale est, et fieri frequentissime debet, ut praeparato per haec, quae supra dicta sunt, 106
judice, res, de qua pronuntiaturus est, indicetur. Haec est narratio. . . Alterum est, de quo frequentius quaeritur, an sit utique narratio prooemio subjicienda; quod qui opinantur, non possunt videri nulla ratione ducti. . . Protinus judex notitia rerum instruendus videtur. Sed hoc quoque interim mutat condicio causarum. . . Nunc, quae sit narrandi ratio, subjungam. . . 107
Eam plerique scriptores volunt esse lucidam, brevem, verisimilem. Neque enim refert, an pro lucida perspicuam, pro verisimili probabilem creditibilem dicamus. Eadem nobis placet divisio. . .

Erit autem narratio aperta atque dilucida, si fuerit primum exposita verbis propriis et significantibus, et non sordidis quidem, non tamen exquisitis et ab usu remotis; tum distincta rebus, personis, temporibus, locis, causis, ipsa etiam pronuntiatione in hoc accommodata, ut judex, quae dicentur, quam facillime accipiat. . . Nec quisquam reprehensione dignum putet, quod proposuerim, eam, quae sit tota pro nobis, debere esse verisimilem, cum vera sit. Sunt enim plurima vera quidem, sed parum credibilia; sicut falsa quoque frequenter verisimilia. . . Non minus autem cavenda erit, quae nimium corripientes omnia sequitur, obscuritas; satiusque est aliquid narrationi superesse, quam deesse. . . Ut fortasse ubicunque, in narratione tamen praecipue, media haec tenenda sit via dicendi, quantum opus est, quantum sat 108 est. . . Ne his quidem accedo, qui semper eo putant ordine, quo quid actum sit, esse narrandum; sed eo malo narrare, quo expedit. . . Neque ideo tamen non id saepius facere oportebit, ut rerum ordinem sequamur. Quaedam vero etiam turpiter convertuntur. . . Illa quoque de narratione praecipi solent, ne qua ex ea fiat excursio, ne avertatur a judice sermo, ne alienae personae vocem demus, ne argumentemur; adjiciunt quidam etiam, ne utamur affectibus; quorum pleraque sunt frequentissime custodienda, imo nunquam, nisi ratio coegerit, mutanda. . . Ego vero narrationem, ut si ullam partem orationis, omni qua potest gratia et venere exornandam puto. Sed plurimum refert, quae sit natura ejus rei, quam exponemus. In parvis ergo, quales sunt fere privatae, sit ille pressus et velut applicitus rei cultus; in verbis summa

diligentia. . . Ubi vero major res erit, et atrocia invidiose, et tristia miserabiliter dicere decebit; non ut consumantur affectus, sed ut tamen velut primis lineis designentur, et plane, qualis futura sit imago rei, statim appareat. . . Nequè illud quidem praeteribo, quantam afferat fidem expositioni narrantis auctoritas; quam mereri debemus ante omnia quidem vita, sed et ipso genere orationis; quod quo fuerit gravius ac sanctius, hoc plus habeat necesse est in affirmando ponderis quoque. . . In contionibus saepe est etiam illa, quae ordinem rei docet, necessaria. Affectus ut quae maxime postulat. Nam et concitanda et lenienda frequenter est ira, et ad metum, cupiditatem, odium, conciliationem, impellendi animi. Nonnunquam etiam movenda miseratio.

Partitio est nostrarum aut adversarii propositionum aut utrarumque, ordine collocata, enumeratio. . . Quae tam manifesta et lucida est ratio, quam rectae partitionis? Sequitur enim naturam ducem, adeo quoque, ut memoriae id maximum sit auxilium, via dicendi non decadere. . . Alia sunt magis, propter quae partitione non semper sit utendum. . . Sed ut non semper necessaria aut utilis etiam partitio est, ita opportune adhibita plurimum orationi lucis et gratiae confert. Neque enim solum id efficit, ut clariora fiant, quae dicuntur, rebus velut ex turba extractis, et in conspectu judicum positis; sed reficit quoque audientem certo singularum partium fine, non aliter quam facientibus iter multum detrahunt fatigationis notata inscriptis lapidibus spatia. . . Quibusdam ne placuit quidem omnino subtilis haec et ad morem dialecticorum formata conclusio. . . Est etiam periculosum, cum, si

uno verbo sit erratum, tota causa cecidisse videamur; optimaque est illa media via, qua utitur Cicero pro Caecina, ut res proponatur, verba non periclitentur. . . Aut, cum finitionem praecedit probatio. . . Non negaverim tamen, haec quoque, ut expediet causae, esse facienda, et si quando firma comprehendendi poterit brevi complexu verborum finitio, esse id tum elegans tum etiam fortissimum,
 114 si modo erit illa inexpugnabilis. . . Ut non semper est necessaria post narrationem procursio, ita frequenter utilis ante quaestionem praeparatio.

115 Ergo, cum sit argumentum ratio probationem praestans, qua colligitur aliud per aliud, et quae, quod est dubium, per id, quod dubium non est, confirmat; necesse est esse aliquid in causa, quod probatione non egeat. Alioqui nihil erit, quo probemus, nisi fuerit, quod aut sit verum aut vi-
 116 deatur, ex quo dubiis fides fiat. . . Firmissimis argumentorum singulis instandum, infirmiora congreganda sunt; quia illa per se fortia non oportet circumstantibus obscurare, ut, qualia sunt, appa-
 reant; haec imbecilla natura mutuo auxilio sus-
 tinentur. Itaque si non possunt valere, quia magna sint, valebunt, quia multa sunt; utique vero ad ejusdem rei probationem omnia spectant. . . Quaesitum etiam, potentissima argumenta primone ponenda sint loco, ut occupent animos, an summo, ut inde dimittant, an partita primo summoque. . . Quae, prout ratio causae cujusque postulabit, ordi-
 nabuntur, uno, ut ego censeo, excepto, ne a po-
 117 tentissimis ad levissima decrescat oratio. . . Nam vis
 quaestionum per crescere debet, et ad potentissima
 118 ab infirmissimis pervenire. . . Videndum etiam,

simul nobis plura aggredienda sint, an amolienda singula. Plura simul invadimus, si aut tam infirma sunt, ut pariter impelli possint, aut tam molesta, ut pedem conferre cum singulis non expedit. . . Quae vero turba valebunt, diducenda erunt. Saepius accusatori congerere argumenta, reo dissolvere expediet. . . In totum autem congregatio 119 criminum accusantem adjuvat, separatio defendantem. . . Ne illud quidem ignorare advocatione volo, 120 quo quaeque ordine probatio sit apud judicem proferenda; cuius rei eadem in argumentis ratio est, ut potentissima prima et summa ponantur. Illa enim ad credendum praeparant judicem, haec ad pronuntiandum. . . Illud quoque studiosi eloquentiae cogitent, neque omnibus in causis, quae demonstravimus, cuncta posse reperiri; neque, cum proposita fuerit materia dicendi, scrutanda singula et velut ostiatim pulsanda, ut sciant, an ad probandum id, quod intendimus, forte respondeant. . . Nescio, an etiam impedimento futura sint, nisi et animi quaedam ingenita natura, et studio exercitata velocitas, recta nos ad ea, quae convenient causae, ferant. . . Opus est igitur in primis ingenio veloci ac 121 mobili, animo praesenti et acri. Non enim cogitandum, sed dicendum statim est, et prope sub conatu adversarii manus exigenda. Quare cum in omni parte hujusc officii plurimum facit, totas non diligenter modo sed etiam familiariter nosse causas: tum in altercatione maxime necessarium est, omnium personarum, instrumentorum, temporum, locorum habere notitiam. Alioqui tacendum erit saepe. . . Quare bonus altercator vitio iracundiae careat; nullus enim rationi magis obstat affectus, et fert extra causam. . . Melior moderatio, ac non-

nunquam etiam patientia. Contra turbantes audendum, et impudentiac fortiter resistendum. . . Valet autem in altercatione plurimum acumen, quod sine dubio ex arte non venit; natura enim non docetur, arte tamen adjuvatur. In qua praecipuum est, semper id in oculis habere, de quo quaeritur, et quod volumus efficere; quia propositum tenentes in rixam non ibimus, nec causae debita tempora conviciando conteremus, gaudebimusque, si hoc adversarius facit. . . Nocet etiam diu pugnare in iis, quae obtinere non possis. Nam, ubi vinci necesse est, expedit cedere. . . Nam culpam praesertim deprehensam pertinaciter tueri, culpa altera est. . . Est et illud vitium magnum sollicite et circa omnia momenta luctantis; suspectam enim facit judici causam. . . Fiduciam igitur orator prae se ferat, semperque ita dicat, tanquam de causa optime sentiat. . .

123 Namque ego, ut in oratione syllogismo quidem aliquando uti nefas non duco, ita constare totam aut certe confertam esse aggressionum et enthymematum stipatione minime velim. . . Locuples et speciosa vult esse eloquentia; quorum nihil consequetur, si conclusionibus certis et crebris et in unam prope formam cadentibus concisa. . . Quid illa miserius lege velut praeformatas infantibus litteras persequentium, et, ut Graeci dicere solent, quem mater amictum dedit, sollicite custodientium: propositio ac conclusio ex consequentibus et repugnantibus? Non inspiret? non augeat? non mille figuris variet ac verset? ut ea nasci et ipsa provenire natura, non manu facta et arte suspecta magistrum fateri ubique videantur? Quis unquam sic dixit orator? Nonne apud ipsum Demosthenen paucissima hujus juris vel artis reperiuntur? . .

Quattuor tamen maxime generibus video constare 125 amplificationem, incremento, comparatione, rationatione, congerie.

Proxima est ex causis probatio, in quibus haec 126 maxime spectantur, ira, odium, metus, cupiditas, spes; nam reliqua in horum species cadunt. . . De causa prius an de persona dicendum sit, quaeritur, varieque est ab oratoribus factum, a Cicerone etiam praelatae frequenter causae. Sed mihi, si neutro litis condicio praeponderet, secundum naturam videtur incipere a persona.

Per oratio sequebatur, quam *cumulum* quidam, 127 *conclusionem* alii vocant. Ejus duplex ratio est, posita aut in rebus aut in affectibus. Rerum repetitio et congregatio, quae Graece dicitur ἀνακεφαλαίωσις, a quibusdam Latinorum *enumeratio*, et memoriam judicis reficit, et totam simul causam ponit ante oculos, et, etiamsi per singula minus moverat, turba valet. In hac, quae repetemus, quam brevissime dicenda sunt, et, quod Graeco verbo patet, decurrentum per capita. Nam, si morabimur, non jam *enumeratio*, sed quasi altera fiet oratio. Quae autem *enumeranda* videntur, cum pondere aliquo dicenda sunt, et aptis excitanda sententiis, et figuris utique varianda. . . Illa vero jucundissima, si contingat aliquod ex adversario ducere argumentum. . . Necessarios tamen affectus 128 fatebuntur, si aliter obtineri vera et justa et in commune profutura non possint... His praecipue locis utiles sunt *prosopopoeiae*, id est fictae alienarum personarum orationes. . . Cum ipsos loqui fingimus, ex personis quoque trahitur affectus. Non enim audire judex videtur aliena mala deflentes, sed sensum ac vocem auribus accipere

miserorum, quorum etiam mutus aspectus lacrimas movet. . . Omnes autem hos affectus, etiamsi quibusdam videntur in prooemio atque in epilogo sedem habere, in quibus sane sunt frequentissimi, tamen aliae quoque partes recipiunt, sed breviores. . . At hic, si usquam, totos eloquentiae aperire fontes licet. Nam et, si bene diximus reliqua, possidebimus jam judicum animos, et e confragosis atque asperis evecti tota pandere possumus vela, et, cum sit maxima pars epilogi amplificatio, verbis
 129 atque sententiis uti licet magnificis et ornatis. . . In hoc eloquentiae vis est, ut judicem non in id tantum compellat, in quod ipsa rei natura ducetur; sed aut, qui non est, aut majorem quam est, faciat affectum. Haec est illa, quae *δείνωσις* vocatur, rebus indignis, asperis, invidiosis addens vim oratio; qua virtute praeter alias plurimum Demosthenes valuit. . . Summa enim, quantum ego quidem sentio, circa movendos affectus in hoc posita est, ut moveamur ipsi. Nam et luctus et irae et indignationis aliquando etiam ridicula fuerit imitatio, si verba vultumque tantum, non etiam animum
 130 accommodarimus. . . Primum est igitur, ut apud nos valeant ea, quae valere apud judicem volumus, afficiamurque antequam afficere conemur. At quomodo fiet, ut afficiamur? neque enim sunt motus in nostram potestatem. Tentabo etiam de hoc dicere. Quas *φαντασίας* Graeci vocant, nos sane *visiones* appellemus, per quas imagines rerum absentium ita praesentantur animo, ut eas cernere oculis ac praesentes habere videamur. Has quisquis bene conceperit, is erit in affectibus potentissimus. Hunc quidam dicunt *εὐφαντασίωτον*, qui sibi res, voces, actus secundum verum optime finget; quod qui-

dem nobis volentibus facile continget. . . Ubi vero miseratione opus erit, nobis ea, de quibus quere-
mur, accidisse credamus, atque id animo nostro persuadeamus. Nos illi simus, quos gravia, indig-
na, tristia passos queremur, nec agamus rem quasi alienam, sed assumamus parumper illum dolorem.
Ita dicemus, quae in nostro simili casu dicturi esse-
mus. . . Illud praecipue monendum, ne quis nisi 131
summis ingenii viribus ad movendas lacrimas ag-
gredi audeat; nam ut est longe vehementissimus hic, cum invaluit, affectus, ita, si nihil efficit, tepet;
quem melius infirmus actor tacitis judicum cogita-
tionibus reliquisset. Nam et vultus et vox et ipsa
illa excitati rei facies ludibrio etiam plerumque sunt hominibus, quos non permoverunt. Quare metiatur ac diligenter aestimet vires suas actor, et,
quantum onus subiturus sit, intelligat; nihil habet ista res medium, sed aut lacrimas meretur aut ri-
sum... Nunquam tamen debet esse longa miseratio, 132
nec sine causa dictum est, *nihil facilis quam lacri-
mas inarescere*. . . Non patiamur igitur frigescere
hoc opus, et affectum, cum ad summum perduxerim-
us, relinquamus, nec speremus fore, ut aliena
quisquam diu ploret. . . In parvis quidem litibus
has tragedias movere tale est, quasi si personam
Herculis et cothurnos aptare infantibus velis.

Sequitur emendatio, pars studiorum longe 133
utilissima. Neque enim sine causa creditum est
stilum non minus agere, cum delet. Hujus autem
operis est adjicere, detrahere, mutare. . . Nec dubium est optimum esse emendandi genus, si
scripta in aliquod tempus reponantur, ut ad ea post
intervallum velut nova atque aliena redeamus, ne
nobis scripta nostra tanquam recentes fetus blandi-

antur. Sed neque hoc contingere semper potest praesertim oratori, cui saepius scribere ad praesentes usus necesse est; et emendatio ipsa finem habeat. . . Sit ergo aliquando quod placeat, aut certe quod sufficiat, ut opus poliat lima, non exterat.

134 Venio nunc ad ornatum, in quo sine dubio plus quam in ceteris dicendi partibus sibi indulget orator. Nam emendate quidem ac lucide dicentium tenue praemium est, magisque ut vitiis carere, quam ut aliquam magnam virtutem adeptus esse videaris. . . Nunc illud adjiciendum, ne iis quidem consentire me, qui semper argumenta sermone puro et dilucido et distincto, ceterum minime lato ornatoque putant esse dicenda. Namque ea distincta quidem ac perspicua debere esse confiteor, in rebus vero minoribus etiam sermone ac verbis quam maxime propriis et ex usu; at si major erit materia, nullum his ornatum, qui modo non obscureret, subtrahendum puto. Nam et saepe plurimum lucis affert ipsa translatio. . . Quoque quid est natura magis asperum, hoc pluribus condiendum est voluptatibus; et minus suspecta argumentatio dissimulatione, et multum ad fidem adjuvat audientis voluptas. . . Hic tamen habendus istis modus, ut
135 sint ornamento, non impedimento. . . Recte Cicero his ipsis ad Brutum verbis quadam in epistola scribit: *Nam eloquentiam, quae admirationem non habet, nullam judico.* Eandem Aristoteles quoque petendam maxime putat. Sed hic ornatus virilis et fortis et sanctus sit, nec effeminatam levitatem et fuco ementitum colorem amet, sanguine et viribus niteat.
136 . . . Id fecisse M. Tullium video, ut cum omnia utilitati, tum partem quandam delectationi daret; cum et ipsam se rem agere diceret, ageret autem

maxime litigatoris. Nam hoc ipso proderat, quod placebat... Gaudet enim res varietate; et sicut ocu- 138 li diversarum aspectu rerum magis detinentur, ita semper animis praestat, in quod se velut novum intendant... Magna virtus est, res, de quibus loqui- 139 mur, clare, atque ut cerni videantur, enuntiare... Atque hujus summae, judicio quidem meo, virtutis facillima est via. Naturam intueamur, hanc sequamur. Omnis eloquentia circa opera vitae est, ad se refert quisque quae audit, et id facillime accipiunt animi, quod agnoscant.

Plures eruditorum aliam esse dicendi rationem, 140 aliam scribendi putaverunt... Mihi unum atque idem videtur bene dicere ac bene scribere, neque aliud esse oratio scripta quam monumentum actionis habitae... An Demosthenes male sic egisset, ut scripsit, aut Cicero? aut eos praestantissimos oratores alia re quam scriptis cognoscimus? Melius egerunt igitur, an pejus? Nam si pejus, sic potius oportuit dici, ut scripserunt; si melius, sic oportuit scribi, ut dixerunt. Quid ergo? Semper sic aget orator, ut scribet? Si licebit, semper... Rerum vitia sunt stultum, commune, contrarium, 141 supervacuum; corrupta oratio in verbis maxime impropriis, redundantibus, comprehensione obscura, compositione fracta, vocum similium aut ambiguarum puerili captatione consistit... Ipsa illa ἀφέλεια simplex et inaffectata habet quandam purum, qualis etiam in feminis amatur, ornatum, et sunt quaedam velut e tenui diligentia circa proprietatem significationemque munditiae. Alia copia locuples, alia floribus laeta. Virium non unum genus: nam, quidquid in suo genere satis effectum est, valet... Non idem demonstrativis et deliberativis et 142 143

judicialibus causis conveniet. Namque illud genus ostentationi compositum solam petit audientium voluptatem, ideoque omnes dicendi artes aperit, ornatumque orationis exponit. . . Ubi res agitur, et vera dimicatio est, ultimus sit famae locus. Praeterea ne decet quidem, ubi maxima rerum momenta versantur, de verbis esse sollicitum.

- 144 *Tropus* est verbi vel sermonis a propria significacione in aliam cum virtute mutatio. . . Necessarios maxime atque in usum receptos exequemur; haec modo in his annotasse contenti, quosdam gratia significationis, quosdam decoris assumi, et esse alios in verbis propriis, alios in translatiis, vertique formas non verborum modo, sed et sensuum et compositionis. . . Incipiamus igitur ab eo, qui cum frequentissimus est tum longe pulcherrimus, *translatione* dico, quae *μεταφορά* Graece vocatur. Quae quidem cum ita est ab ipsa nobis concessa natura, ut indocti quoque ac non sentientes ea frequenter utantur; tum ita jucunda atque nitida, ut in oratione quamlibet clara proprio tamen lumine eluceat. Neque enim vulgaris esse, neque humilis, nec insuavis, recte modo ascita, potest. Copiam quoque sermonis auget permutando, aut mutuando, quae non habet; quodque difficillimum est, praestat, ne ulli rei nomen deesse videatur. . . Ut modicus autem atque opportunus ejus usus illustrat orationem, ita frequens et obscurat, et taedio complet; continuus vero in allegorias et aenigmata exit. . . Metaphora aut vacantem occupare locum debet, aut, si in alienum venit, plus valere eo, quod expellit. Quod paene etiam magis de *synecdoche* dicam. Nam translatio permovendis animis plerumque et signandis rebus ac sub oculos subjiciendis reperta

est. Haec variare sermonem potest, ut ex uno plures intelligamus, parte totum, specie genus, praecedentibus sequentia, vel omnia haec contra; liberior poetis quam oratoribus. . . Nec procul ab 146
 hoc genere discedit $\mu\epsilon\tau\omega\nu\nu\mu\dot{\iota}\alpha$, quae est nominis pro nomine positio. . . Ornat $\dot{\epsilon}\pi\dot{\iota}\dot{\delta}\epsilon\tau\circ\nu$, quod recte dicimus a p p o s i t u m ; a nonnullis s e q u e n s dicitur. Eo poetae et frequentius et liberius utuntur. . . Apud oratorem, nisi aliquid efficitur, redundat. Tum autem efficitur, si sine illo, quod dicitur, minus est: qualia sunt *O scelus abominandum, o deformem libidinem*. Exornatur autem res tota maxime translationibus: *Cupiditas effrenata* et *Insanae substructiones*. . . Verumtamen talis est ratio hujuscce virtutis, ut sine appositis nuda sit et velut incompta oratio; oneretur tamen multis. Nam fit longa et impedita. . . 'Αλληγορία, quam inversio- 147
 nem interpretantur, aut aliud verbis aliud sensu ostendit, aut etiam interim contrarium. . . Haec allegoria, quae est obscurior, aenigma dicitur; vitium meo quidem judicio, si quidem dicere dilucide virtus. . . Illud vero longe speciosissimum genus orationis, in quo trium permixta est gratia, similitudinis, allegoriae, translationis. . . Pluribus autem verbis cum id, quod uno aut paucioribus certe dici potest, explicatur, $\pi\epsilon\rho\dot{\iota}\phi\rho\alpha\sigma\iota\nu$ vocant, circuitum quendam eloquendi, qui nonnunquam necessitatem habet, quotiens dictu deformia operit. . . Hyperbaton quoque, id est verbi 148
 transgressionem, quoniam frequenter ratio comparationis et decor poscit, non immerito inter virtutes habemus. Fit enim frequentissime aspera et dura et dissoluta et hians oratio, si ad necessitatem ordinis sui verba redigantur, et, ut quodque oritur, ita

- proximis, etiamsi vinciri non potest, alligetur. Differenda igitur quaedam et praecumenda, atque ut in structuris lapidum impolitorum loco, quo convenit, quodque ponendum. Non enim recidere ea nec polire possumus, quo coagmentata se magis jungant, sed utendum iis, qualia sunt, eligen-
daeque sedes. Nec aliud potest sermonem facere numerosum, quam opportuna ordinis mutatio... Cum decoris gratia trahitur longius verbum, proprie hyberbati tenet nomen... Hyperbole
 149 audacioris ornatus summo loco posui. Est haec decens veri superjectio. Virtus ejus ex diverso par augendi atque minuendi... Pervenit haec res frequentissime ad risum; qui si captatus est, urbanitatis, sin aliter, stultitiae nomen assequitur. Est autem in usu vulgo quoque et inter ineruditos et apud rusticos, videlicet quia natura est omnibus augendi res minuendique cupiditas insita, nec quisquam vero contentus est. Sed ignoscitur, quia non affirmamus. Tum est hyperbole virtus, cum res ipsa, de qua loquendum est, naturalem modum excessit. Conceditur enim amplius dicere, quia dici, quantum est, non potest, meliusque ultra quam citra stat oratio.
 150 Cum sit proximo libro de tropis dictum, sequitur pertinens ad figur as, quae *σχήματα* Graece vocantur, locus, ipsa rei natura conjunctus superiori. Nam plerique has tropos esse existimaverunt, quia, sive ex hoc duxerint nomen, quod sint formati quodam modo, sive ex eo, quod vertant orationem, unde et motus dicuntur; fatendum erit, esse utrumque eorum etiam in figuris. Usus quoque est idem; nam et vim rebus adjiciunt, et gratiam praestant... Quo magis signanda est utriusque rei

differentia. Est igitur tropus sermo a naturali et principali significatione translatus ad aliam ornandae orationis gratia, vel, ut plerique grammatici finiunt, dictio ab eo loco, in quo propria est, translata in eum, in quo propria non est; figura, sicut nomine ipso patet, conformatio quaedam a communi et primum se offerente ratione. Quare in tropis ponuntur verba alia pro aliis. . . Horum nihil in figuras cadit. Nam et propriis verbis et ordine collocatis figura fieri potest. . . Ergo figura sit arte aliqua novata forma dicendi. . . Sicut omnem orationem, ita figuratas quoque versari necesse est in sensu et in verbis. . . Illud est acrius 151 genus, quod non tantum in ratione positum est loquendi, sed ipsis sensibus cum gratiam tum etiam vires accommodat. . . Illa adhuc audaciora et majorum 152 (ut Cicero existimat) laterum, fictiones personarum, quae προσωποποιίαι dicuntur. Mire namque cum variant orationem, tum excitant. His et adversariorum cogitationes velut secum loquentium protrahimus. . . Quin deducere deos in hoc genere dicendi, et inferos excitare concessum est. Urbes etiam populique vocem accipiunt. . . Ideoque longe mihi difficillimae videntur prosopopoiae, in quibus ad reliquum suasoriae laborem accedit etiam personae difficultas. Namque idem illud aliter Caesar, aliter Cicero, aliter Cato suadere debet. . . Aversus quoque a judice sermo, qui dicitur ἀποστροφή, mire movet, sive adversarios invadimus, . . . sive ad invocationem aliquam convertimur, . . . sive ad invidiosam implorationem. . . In figura ironia, totius voluntatis fictio est apparens magis quam confessa. . . Etiam vita universa ironiam habere videatur, qualis est visa Socratis. 153

154

Nam ideo dictus *εἰρων*, agens imperitum et admiratorem aliorum tanquam sapientium; ut, quemadmodum *ἀλληγορίαν* facit continua *μεταφορὰ*, sic hoc
155 schema faciat troporum ille contextus. . . Cum sit a simplici rectoque loquendi genere deflexa, virtus est, si habet probabile aliquid, quod sequatur. Una tamen in re maxime utilis, ut quotidiani ac semper eodem modo formati sermonis fastidium levet, et nos a vulgari dicendi genere defendat. Qua si quis parce, et cum res poscet, utetur, velut asperso quodam condimento jucundior erit; at qui nimium affectaverit, ipsam illam gratiam varietatis amittet. Quanquam sunt quaedam figurae ita receptae, ut paene jam hoc ipsum nomen effugerint; quae etiamsi fuerint crebriores, consuetas aures minus ferient. Nam secretae, et extra vulgarem usum positae, ideoque magis nobiles, ut novitate excitant, ita copia satiant, nec se obvias fuisse dicenti, sed conquisitas, et ex omnibus latebris ex-
156 tractas, congestasque declarant. . . Sed ne si optimae quidem sint, esse debent frequentes. Nam densitate ipsa figurae aperiuntur, nec offensae minus
157 habent, sed auctoritatis. . . Densitas earum obstat invicem; ut in satis omnibus fructibusque arborum nihil ad justam magnitudinem adolescere potest, quod loco, in quem crescat, caret. Nec pictura, in qua nihil circumlitum est, eminet. Ideoque artifices etiam, cum plura in unam tabulam opera contulerunt, spatiis distinguunt, ne umbrae in corpora cadant. Facit res eadem concisam quoque orationem. Subsistit enim omnis sententia, ideoque post eam utique aliud est initium. Unde soluta sere oratio, et e singulis non membris sed frustis collata, structura caret, cum illa rotunda et undique

circumcisa insistere invicem nequeant. . . Hoc quoque accedit, quod solas captanti sententias multas dicere necesse est leves, frigidas, ineptas. . . Ego vero haec lumina orationis velut oculos quosdam esse eloquentiae credo. Sed neque oculos esse toto corpore velim, ne cetera membra officium suum perdant; et, si necesse sit, veterem illum horrorem dicendi malim, quam istam novam licentiam. Sed patet media quaedam via.

Et urbanitas opportuna reficit animos, et unde- 158 cunque petita judicis voluptas levat taedium. . . Cum videatur autem res levis, et quae ab scurris, 159 mimis, insipientibus denique saepe moveatur, tamen habet vim nescio an imperiosissimam, et cui repugnari minime potest. Erumpit etiam invitus saepe, nec vultus modo ac vocis exprimit confessionem, sed totum corpus vi sua concutit. Rerum autem saepe maximarum momenta vertit. . . Verum hoc, quidquid est, ut non ausim dicere carere omnino arte, quia nonnullam observationem habet, suntque ad id pertinentia et a Graecis et a Latinis composita praecepta; ita plane affirmo, praecipue positum esse in natura et in occasione. . . Narrare, quae salsa sint, imprimis est subtile et 160 oratorium, ut Cicero pro Cluentio narrat de Cepasio atque Fabricio, aut M. Caelius de illa D. Laelii collegaeque ejus in provinciam festinantium contentione. Sed in his omnibus cum elegans et venusta exigitur tota expositio, tum id festivissimum est, quod adjicit orator. Laedere nunquam velimus, longeque absit propositum illud: *Potius amicum quam dictum perdidii*. . . Oratori minime convenit distortus vultus gestusque, quae in mimis rideri solent. Dicacitas etiam scurrilis et scenica

huic personae alienissima est. Obscenitas vero non a verbis tantum abesse debet, sed etiam a significatione. Nam si quando objici potest, non in joco exprobranda est. Oratorem praeterea ut dicere urbane volo, ita videri affectare id, plane nolo. Quapropter ne dicet quidem salse, quotiens poterit, et dictum potius aliquando perdet, quam minuet auctoritatem. . . Ea, quae dicet vir bonus, omnia salva dignitate ac verecundia dicet. Nimium enim risus pretium est, si probitatis impendio constat. . .

161 Verum mihi etiam jocosa quaedam videntur posse non satis urbane referri. Nam meo quidem judicio illa est urbanitas, in qua nihil absonum, nihil agreste, nihil inconditum, nihil peregrinum neque sensu neque verbis neque ore gestuve possit deprehendi; ut non tam sit in singulis dictis quam in toto colore dicendi, qualis apud Graecos ἀττικισμὸς ille reddens Athenarum proprium saporem.

162 Memoria m quidam naturae modo esse munus existimaverunt, estque in ea non dubie plurimum; sed ipsa excolendo, sicut alia omnia, augetur; et totus, de quo diximus adhuc, inanis est labor, nisi ceterae partes hoc velut spiritu continentur. Nam et omnis disciplina memoria constat, frustraque docemur, si quidquid audimus praeterfluat; et exemplorum, legum, responsorum, dictorum denique factorumque velut quasdam copias, quibus abundare, quasque in promptu semper habere debet orator, eadem illa vis praesentat. Neque immerito *thesaurus* hic *eloquentiae* dicitur. . . Quid? extemporalis oratio nec alio mihi videtur mentis vigore constare. Nam dum alia dicimus, quae dicturi sumus, intuenda sunt. Ita, cum semper cogitatio ultra id quod est longius quaerit, quidquid interim

reperit quodammodo apud memoriam deponit...
 Si longior complectenda memoria fuerit oratio,
 proderit per partes ediscere; laborat enim maxime
 onere; et hae partes non sint perexiguae, alioqui
 rursus multae erunt, et eam distinguent atque con-
 cident... Ediscere tacite (nam id quoque est qua-
 situm) erat optimum, si non subirent velut otiosum
 animum plerumque aliae cogitationes; propter
 quas excitandus est voce, ut duplii motu juvetur
 memoria dicendi et audiendi. Sed haec vox sit
 modica et magis murmur... Verum et in iis quae 163
 scripsimus complectendis multum valent, et in iis
 quae cogitamus continendis prope solae (excepta,
 quae potentissima est, exercitatione) divisio et
 compositio. Nam qui recte divisorit, nunquam
 poterit in rerum ordine errare... Si quis tamen
 unam maximamque a me artem memoriae quaerat,
 exercitatio est et labor; multa ediscere, multa
 cogitare, et si fieri potest quotidie, potentissi-
 mum est. Nihil aeque vel augetur cura, vel negli-
 gentia intercidit... Ex hac ingeniorum diversitate 165
 nata dubitatio est, ad verbum sit ediscen-
 dum dicturis, an vim modo rerum atque
 ordinem complecti satis sit; de quo sine
 dubio non potest in universum pronuntiari. Nam
 si memoria suffragatur, tempus non defuit, nulla
 me velim syllaba effugiat; alioqui etiam scribere
 sit supervacuum. Idque praecipue a pueris obti-
 nendum, atque in hanc consuetudinem memoria
 exercitatione redigenda, ne nobis discamus igno-
 scere. Ideoque et admoneri et ad libellum respi-
 cere vitiosum, quod libertatem negligentiae facit...
 Si vero aut memoria natura durior erit, aut non
 suffragabitur tempus, etiam inutile erit ad omnia

se verba alligare, cum oblivio unius eorum cujuslibet aut deformem haesitationem aut etiam silentium inducat; tutiusque multo, comprehensis animo rebus ipsis, libertatem sibi eloquendi relinquere.

166 Superest lectio, in qua puer ut sciat, ubi suspendere spiritum debeat, quo loco versum distinguere, ubi claudatur sensus, unde incipiat, quando attollenda vel summittenda sit vox, quid, quoque flexu quid, lentius, celerius, concitatus, lenius dicendum; demonstrari nisi in opere ipso non potest. Unum est igitur, quod in hac parte praecipiam:

167 Ut omnia ista facere possit, intelligat. Sit autem in primis lectio virilis, et cum suavitate quadam gravis. . . Iidem autem non ad pronuntiandum modo utilissimi, verum ad augendam quoque eloquentiam maxime accommodati erunt. Et haec, dum infirma aetas majora non capiet; ceterum, cum legere orationes oportebit, cum virtutes earum jam sentiet: tum mihi diligens aliquis ac peritus assistat, neque solum lectionem formet, verum ediscere etiam electa ex his cogat, et ea dicere stantem clare et quemadmodum agere oportebit, ut protinus pronunciationem, vocem, memoriam exerceat.

168 Pronuntiatio a plerisque *actio* dicitur, sed prius nomen a voce, sequens a gestu videtur accipere. Namque actionem Cicero alias *quasi sermonem*, alias *eloquentiam quandam corporis* dicit. . . Habet autem res ipsa miram quandam in orationibus vim ac potestatem; neque enim tam refert, qualia sint, quae intra nosmet ipsos composuimus, quam quo modo efferantur; nam ita quisque, ut audit, movetur. . . Affectus omnis languescat ne-

cesse est, nisi voce, vultu, totius prope habitu corporis inardescat. . . Is quantum habeat in oratore momenti, satis vel ex eo patet, quod pleraque etiam citra verba significat. . . Siquidem et Demosthenes, quid esset in toto dicendi opere primum, interrogatus, pronuntiationi palmam dedit, eidemque secundum ac tertium locum, donec ab eo quaeri desineret; ut eam videri posset non praecipuam, sed solam judicasse. . . Et M. Cicero unam in dicendo actionem *dominari* putat.

Cum sit autem omnis actio, ut dixi, in duas divisa 169 partes, vocem gestumque, quorum alter oculos, altera aures movet, per quos duos sensus omnis ad annum penetrat affectus; prius est de voce dicere, cui etiam gestus accommodatur. In ea prima observatio est, qualem habeas; secunda, quo modo utaris. . . Augentur autem, sicut omnium, ita vocis quoque bona cura, negligentia minuntur. . . Jam confirmatae constitutaeque vocis genus exercitationis optimum duco, quod est operi simillimum, dicere quotidie sicut agimus. Namque hoc modo non vox tantum confirmatur et latus, sed etiam corporis decens et accommodatus orationi motus componitur. Non alia est autem ratio pronuntiationis quam ipsius orationis. Nam ut illa emendata, dilucida, ornata, apta esse debet; ita haec quoque emendata erit, id est, vitio carebit, si fuerit os facile, explanatum, jucundum, urbanum, id est, in quo nulla neque rusticitas neque peregrinitas resonet. . . Ornata est pronuntiatio, cui suffragatur vox facilis, magna, beata, flexibilis, firma, dulcis, durabilis, clara, pura, secans aëra et auribus sedens. . . Neque gravissimus autem in musica sonus nec acutissimus orationibus convenit.

.. Sic ima vim non habet, summa rumpi periclitatur. Mediis ergo utendum sonis, hique cum augenda intentione excitandi, cum summittenda sunt temperandi. Nam prima est observatio recte pronuntiandi aequalitas, ne sermo subsultet imparibus spatiis ac sonis, miscens longa brevibus, gravia acutis, elata summissis, et inaequalitate horum omnium sicut pedum claudicet; secunda varietas, quod solum est pronuntiatio... Ars porro variandi cum gratiam praebet ac renovat aures, tum dicentem ipsa laboris mutatione reficit. . . Illud vero maximum, quod secundum rationem rerum, de quibus dicimus, animorumque habitus conformanda vox est, ne ab oratione discordet. Vitemus igitur illam, quae Graece *μονοτονία* vocatur, una quaedam spiritus ac soni intentio... Dulcis esse tamen debet, non exprobans sonus... Vox autem ultra vires urgenda non est. Nam et suffocatur saepe, et majore nisu minus clara est... Promptum sit os, non praeceps; moderatum, non lentum. Spiritus quoque nec crebro receptus concidat sententiam, nec eo usque trahatur, donec deficiat... Quare longiorem dicturis periodum colligendus est spiritus, ita tamen, ut id neque diu neque cum sono faciamus, neque omnino ut manifestum sit... Sed quodcumque ex his vitium magis tulerim, quam, quo nunc maxime laboratur in causis omnibus scholisque, cantandi.

173 Decor quoque a gestu atque a motu venit. Ideoque Demosthenes grande quoddam intuens speculum componere actionem solebat. . . Praecipuum vero in actione, sicut in corpore ipso, caput est, cum ad illum, de quo dixi, decorum, tum etiam ad significationem. Decoris illa sunt,

ut sit primo rectuni et secundum naturam. Nam et dejecto humilitas, et supino arrogantia, et in latus inclinato languor, et praeduro ac rigente barbaria quaedam mentis ostenditur. . . Aspectus semper eodem vertitur quo gestus, exceptis quae aut damnare, aut non concedere, aut a nobis removere oportebit. . . Dominatur autem maxime ¹⁷⁴ vultus. Hoc supplices, hoc minaces, hoc blandi, hoc tristes, hoc hilares, hoc erecti, hoc summissi sumus; hoc pendent homines, hunc intuentur, hunc spectant, etiam antequam dicimus; hoc quosdam amamus, hoc odimus, hoc plurima intelligimus, hic est saepe pro omnibus verbis. . . Sed in ipso vultu plurimum valent oculi, per quos maxime animus eminet, ut citra motum quoque et hilariitate enitescant, et tristitia quoddam nubilum ducent. . . Motu vero intenti, remissi, superbi, torvi, mites, asperi fiunt; quae, ut actus poposcerit, fингentur. . . Multum et superciliis agitur. Nam et ¹⁷⁵ oculos formant aliquatenus, et fronti imperant. . . Vitium in superciliis, si aut immota sunt omnino, aut nimium mobilia, aut inaequalia. . . Naribus labrisque non fere quidquam decenter ostendimus, tametsi derisus iis, contemptus, fastidium significari solet. . . Labra et porriguntur male, et scinduntur, et astringuntur, et diducuntur, et dentes nudant, et in latus ac paene ad aurem trahuntur, et velut quodam fastidio replicantur, et pendent, et vocem tantum altera parte dimittunt. . . Cervicem ¹⁷⁶ rectam oportet esse, non rigidam aut supinam. . . Affixum pectori mentum minus claram et quasi latiore presso gutture facit. Humerorum raro decens allevatio atque contractio est. . . Jactantur et humeri; quod vitium Demosthenes ita dicitur

emendasse, ut, cum in angusto quodam pulpito stans diceret, hasta humero dependens immineret, ut, si calore dicendi vitare id excidisset, offensione illa commoneretur.

Brachii moderata projectio, remissis humeris atque explicantibus se in proferenda manu digitis, continuos et recurrentes locos maxime decet. At cum speciosius quid uberiusque dicendum est, ut illud *Saxa atque solitudines voci respondent*; expatiatur in latus, et ipsa quodammodo se cum gestu

177 fundit oratio. Manus vero, sine quibus trunca esset actio ac debilis, vix dici potest, quot motus habeant, cum paene ipsam verborum copiam persequantur. Nam ceterae partes loquentem adjuvant, hae, prope est ut dicam, ipsae loquuntur. His poscimus, pollicemur, vocamus, dimittimus, minamur, supplicamus, abominamur, timemus. interrogamus, negamus; gaudium, tristitiam, dubitationem, confessionem, poenitentiam, modum, copiam, numerum, tempus ostendimus. Non concitant? inhibent? probant? admirantur? verecundantur? Non in demonstrandis locis ac personis adverbiorum atque pronominum obtinent vicem? Ut in tanta per omnes gentes nationesque linguae diversitate hic mihi omnium hominum communis sermo videatur... Veteres artifices illud recte adjecerunt, ut manus cum sensu et inciperet et deponeretur.

Alioqui enim aut ante vocem erit gestus, aut post vocem, quod est utrumque deformis... Tolli autem manum artifices supra oculos, demitti infra pectus vetant; adeo a capite eam petere, aut ad imum ventrem deducere, vitiosum habetur. . . Manus sinistra nunquam sola gestum recte facit. . . Solet esse et pigra et trepida et secanti similis. . . Abesse

plurimum a saltatore debet orator. Ergo ut ad se manum referre, cum de se ipso loquatur, et in cum, quem demonstret, intendere, et aliqua his similia permiserim ; ita non effingere status quos-dam, et, quidquid dicet, ostendere. Neque id in manibus solum, sed in omni gestu ac voce servandum est... In pedibus observantur status et incessus. Prolato dextro stare, et eandem manum ac pedem proferre, deforme est. In dextrum incumbere interim datur, sed aequo pectore... Procursio opportuna brevis, moderata, rara. Conveniet etiam ambulatio quaedam propter immodicas laudationum moras, quanquam Cicero rarum incessum neque ita longum probat... Est et illa indecora in dextrum ac laevum latus vacillatio alternis pedibus inconsistentium. Longissime fugienda mollis actio... Reprehendenda et illa frequens et concitata in utramque partem nutatio... His accedunt vitia non naturae sed trepidationis, cum ore concurrente rixari ; si memoria fefellerit, aut cogitatio non suffragetur, quasi faucibus aliquid obstiterit, insonare ; in adversum tergere nares, obambulare sermone imperfecto, resistere subito et laudem silentio poscere ; quae omnia persequi prope infinitum est. Sua enim cuique sunt vitia... Cultus non est proprius oratoris aliquis, sed magis in oratore conspicitur. Quare sit, ut omnibus honestis debet esse, splendidus et virilis. Nam et toga et calceus et capillus tam nimia cura quam negligentia sunt reprehendenda... Tria autem praestare debet pronuntiatio : conciliet, persuadeat, moveat, quibus natura cohaeret, etiam delectet. Prooemio frequentissime lenis convenit pronuntiatio. Nihil enim est ad conciliandum gratius verecundia. .

Narratio magis prolatam manum, gestum distinctum, vocem sermoni proximam et tantum acriorem, sonum simplicem frequentissime postulabit. . . Maxime varia et multiplex actio est probationum. . . Argumentatio plerumque agilior et acrior et instantior consentientem orationi postulat etiam gestum, id est fortem celeritatem. Instandum quibusdam in partibus, et densanda oratio. Egressiones fere et lenes et dulces et remissae. . . Epilogus, si enumerationem rerum habet, desiderat quandam concisorum continuationem; si ad concitandos judices est accommodatus, aliquid ex iis, quae supra dixi; si placandos, inclinatam quandam lenitatem; si misericordia commovendos, flexum vocis et flebilem suavitatem, qua praecipue franguntur animi, quaeque est maxime naturalis. . . Quare norit se quisque, nec tantum ex communibus praceptis, sed etiam ex natura sua capiat consilium formandae actionis.

185 Plurimum valet animi praestantia, quam nec metus frangat, nec acclamatio terreat, nec audiendum auctoritas ultra debitam reverentiam tardet. . . Invitus mehercule dico, quoniam et aliter accipi potest, ipsam verecundiam, vitium quidem, sed amabile, et quae virtutes facillime generet, esse inter adversa. . . Neque ego rursus nolo eum, qui sit dicturus, et sollicitum surgere, et colorem mutare, et periculum intelligere; quae si non accident, etiam simulanda erunt. Sed intellectus hic sit operis, non metus; moveamurque, non concidamus. Optima est autem emendatio verecundiae fiducia, et quamlibet imbecilla frons magna conscientia sustinetur.

186 Maximus vero studiorum fructus est, et velut

praemium quoddam amplissimum longi laboris, ex tempore dicendi facultas; quam qui non erit consecutus, mea quidem sententia civilibus officiis renuntiabit, et solam scribendi facultatem potius ad alia opera convertet. . . Neque ego hoc ago, ut ex tempore dicere malit, sed ut possit. Id autem maxime hoc modo consequemur. Nota sit 187 primum dicendi via. Neque enim prius contingere cursus potest quam scierimus, quo sit et qua perveniendum. . . Quisquis autem via dicet, ducetur ante omnia rerum ipsa serie velut duce; propter quod homines etiam modice exercitati facillime tenorem in narrationibus servant. Deinde, quid quoque loco quaerant, scient, nec circumspectabunt, nec offerentibus se aliunde sensibus turbabuntur, nec confundent ex diversis orationem velut salientes huc illuc, nec usquam insistentes. . . Mihi ne dicere quidem videtur, nisi qui disposite, ornate, copiose dicit; sed tumultuari. . . Sed non 188 minore studio continetur haec facultas, quam paratur. . . Sicut in cogitatione praecipimus, ita facilitatem quoque extemporalem a parvis initiis paulatim perducemus ad summam, quae neque perfici neque contineri nisi usu potest. . . Si qua tamen fortuna tam subitam fecerit agendi necessitatem, mobiliore quodam opus erit ingenio, et vis omnis intendenda rebus, et in praesentia remittendum aliquid ex cura verborum, si consequi utrumque non dabitur. Tum et tardior pronuntiatio moras habet, et suspensa ac velut dubitans oratio; ut tamen deliberare, non haesitare videamur. Hoc, dum egredimur e portu, si nos nondum aptatis satis armamentis aget ventus; deinde paulatim simul eentes aptabimus vela, et disponemus ruden-

tes, et impleri sinus optabimus. Id potius, quam se inani verborum torrenti dare quasi tempestatisbus, quo volent, auferendum.

189 Superest, ut dicam de genere orationis. Hic erat propositus a nobis in divisione prima locus tertius; nam ita promiseram, me de arte, de artifice, de opere dicturum. Cum sit autem rhetorices atque oratoris opus oratio, pluresque ejus formae, sicut ostendam; in omnibus his et ars est et artifex, plurimum tamen invicem differunt; nec solum specie, ut signum signo, et tabula tabulae, et actio actioni; sed genere ipso, ut Graecis Tuscanicae statuae, ut Asianus eloquens Attico... In oratione vero si species intueri velis, totidem paene reperias ingeniorum quot corporum formas.

190 ... Antiqua quidem illa divisio inter Atticos atque Asianos fuit; cum hi pressi et integri, contra inflati illi et inanes haberentur... Tertium mox, qui haec dividebant, adjecerunt genus Rhodium, quod velut medium esse atque ex utroque mixtum volunt; neque enim Attice pressi, neque Asiane sunt abundantes... Nemo igitur dubitaverit, longe esse optimum genus Atticorum. In quo ut est aliquid inter ipsos commune, id est judicium acre tersumque; ita ingeniorum pluri-
191 mae formae... Quid denique Demosthenes? non cunctos illos tenues et circumspectos vi, sublimitate, impetu, cultu, compositione superavit? non insurgit locis? non figuris gaudet? non translationibus nitet? non oratione facta dat tacentibus vocem? non illud jusjurandum per caesos in Marathone ac Salamine propugnatores rei publicae satis manifesto docet, praceptorum ejus Platonem fuisse? quem ipsum num Asianum appellabimus,

plerumque instinctis divino spiritu vatibus compa-
randum? . . At M. Tullium non illum habemus 192
Euphranorem circa plurium artium species praes-
tantem, sed in omnibus, quae in quoque laudantur,
eminentissimum. Quem tamen et suorum homines
temporum incessere audebant ut tumidiorem, et
Asianum, et redundantem, et in repetitionibus
nimium, et in salibus aliquando frigidum, et in
compositione fractum, exultantem, ac paene, quod
procul absit, viro molliorem. . . Ille tamen, qui
. . . jejonus a quibusdam atque aridus habetur, non
aliter ab ipsis inimicis male audire quam nimiis
floribus et ingenii affluentia potuit. Falsum utrum-
que, sed tamen illa mentiendi propior occasio.

Altera est divisio, quae in tres partes et ipsa dis-
cedit, qua discerni posse etiam recte dicendi genera
inter se videntur. Namque unum subtile, quod
ἰσχὺν vocant, alterum grande atque robustum, quod
ἀδρόν dicunt, constituunt; tertium alii
medium ex duobus, alii floridum (namque id
ἀνθηρόν appellant) addiderunt. Quorum tamen ea
fere ratio est, ut primum docendi, secundum movendi, tertium illud utrocumque nomine delectandi
sive conciliandi praestare videatur officium; in
docendo autem acumen, in conciliando lenitas, in
movendo vis exigi videatur. . . Sed neque his tribus
quasi formis inclusa eloquentia est. Nam ut
inter gracile validumque tertium aliquid constitutum
est; ita horum intervalla sunt, atque inter
haec ipsa mixtum quiddam ex duobus medium est
eorum. . . Ac sic prope innumerabiles species re-
periuntur, quae utique aliquo momento inter se 194
differant: sicut quattuor ventos generaliter a totidem mundi cardinibus accepimus flare, cum inte-

rim plurimi medii et eorum varia nomina et quidam etiam regionum ac fluminum proprii, deprehenduntur... Plures igitur etiam eloquentiae facies, sed stultissimum quaerere, ad quam se recturus sit orator; cum omnis species, quae modo recta est, habeat usum, atque id ipsum omne sit oratoris, quod vulgo genus dicendi vocant. Utetur enim, ut res exiget, omnibus, nec pro causa modo sed pro partibus causae... Non unus color prooemii, narrationis, argumentorum, egressionis, perorationis servabitur. Dicit idem graviter, severe, acriter, vehementer, concitate, copiose, amare, comiter, remisse, subtiliter, blande, leniter, dulciter, breviter, urbane; non ubique similis, sed ubique par sibi... Neque vero omnia ista, de quibus locuti sumus, orator optime tantum, sed etiam facilime faciet. Neque enim vim summam dicendi et admiratione dignam infelix usque ad ultimum sollicitudo persequitur, nec oratorem macerat et coquit aegre verba vertentem, et perpendens coagmentandisque eis intabescentem. Nitidus ille et sublimis et locuples circumfluentibus undique eloquentiae copiis imperat. Desinit enim in adversa niti, qui pervenit in summum. Scandenti circa ima labor est; ceterum quantum processeris, mollior clivus ac laetius solum. Et si haec quoque jam lenius supina perseverantibus studiis evaseris, inde fructus illaborati offerunt sese, et omnia sponte proveniunt; quae tamen quotidie nisi decerpantur, arescunt. Sed et copia habet modum, sine quo nihil nec laudabile nec salutare est, et nitor ille cultum virilem, et inventio judicium. Sic erunt magna, non nimia; sublimia, non abrupta; fortia, non temeraria; severa, non tristia; gravia, non

tarda; laeta, non luxuriosa; jucunda, non dissoluta; grandia, non tumida. Similis in ceteris ratio est, ac tutissima fere per medium via, quia utriusque ultimum vitium est.

NOTES.

NOTES ON CICERO.

TO those who have already studied Cicero's Orations, it is hardly necessary to recall the outlines of the great orator's life and public career. Born B.C. 106, he entered the forum at the age of twenty-five. He gained celebrity at once; but two years later, from the solicitations of friends who feared for his health, and still more from his own dissatisfaction with his style and delivery, he determined to visit the earlier homes of culture, and learn what the Greek philosophers and rhetoricians could teach him. In 79 B.C., he went to Athens, where he spent six months in diligent study. Then he made the tour of Asia Minor, and sought the fellowship of the first orators and rhetoricians of the East. Passing over to Rhodes, he became a student again, under the care of Molo. In 77 B.C., he returned to Rome, greatly benefited by his two years' experience abroad. His health was established, his voice was at once stronger and better controlled, his mind had gained maturity and power. Less impetuous in his eloquence, he was now a philosophic and self-poised orator, with none to dispute his pre-eminence. There is not time to notice in detail his growing fame, his forensic triumphs, his services to the state, the clouding

of his public career, the perils of his later years, his violent death by the vengeance of Antony. He died in his sixty-fourth year.

Whatever may have been Cicero's deficiencies as a statesman, he was the noblest orator of Rome. His fame in these later ages is second only to that of Demosthenes. And he has done the world a greater service than the Greek, in leaving not only orations, to serve as models, but wise and practical teachings, drawn from the stores of Greek and Roman culture. He is the one illustrious orator, of either ancient or modern times, who has admitted us to his workshop; who has unfolded the secrets of his art, and has invited the true orators of every succeeding age to see how they may best develop their divine gift.

The works of Cicero on oratory, as given in Orelli's edition, are the following:

1. *Ad Herennium*; regarded as spurious.
2. *De Inventione*; an early and imperfect work, referred to in *De Or.*, 1, 2.
3. *De Oratore*; in three Books.
4. *Brutus*.
5. *Orator*.
6. *Topica*.
7. *Oratoriae Partitiones*.
8. *De Optimo Genere Oratorum*.

The excerpts in this book have been taken from Nos. 3, 4, 5, 7, and 8.

DE ORATORE.

This treatise was addressed to the orator's brother Quintus. It was completed B.C. 55, and was the

result of years of study, guided by a long experience. It is thrown partially into the form of a dialogue, in imitation of Plato; but the interlocutory framework is very slight. The conversations are represented as having taken place B.C. 91. The chief speakers are Crassus and Antony; and Crassus is the exponent of Cicero's own views.

BRUTUS: SIVE DE CLARIS ORATORIBUS.

This is also a semi-dialogue, and takes its name from one of the speakers. It is a critical estimate of Roman orators, down to the author's own time. Notices of Greek orators are also given.

ORATOR.

This is a treatise addressed to Brutus, written later than the preceding, about B.C. 45. It sets forth the author's ideal of a perfect orator.

These three treatises form a continuous series.

ORATORIAE PARTITIONES.

This work is a sort of oratorical catechism, in the form of question and answer. The two speakers are Cicero and his son Marcus. It is supposed to have been composed B.C. 46 or 45.

DE OPTIMO GENERE ORATORUM.

A preface to the author's translation of the orations of Aeschines and Demosthenes in the case of Ctesiphon (*De Corona*). The translation, most unfortunately, has not survived. This preface gives

the translator's aim, which was to show that Attic oratory had not the concise, dry style attributed to it by Brutus and others, but indulged in ornament and amplification; in short, that it was very nearly Ciceronian! Compare Part II., No. 191.

NOTES.

1. **Artibus:** Billerbeck, *rebus*.
In qua: *philosophia*, supplied from the context.
2. **Grammatici:** not mere grammarians, but philologists and critics.
Mihi—dicturus:—I think I may say.
3. **Caeteris hominibus:** for *caeterorum hominum ingeniis*.
M. 280 (2).
5. **Id egisse:** Ernesti reads *ad artemque redegissee*; Gesner and Billerbeck, more plausibly, *digessisse*. Comp. De Or. 1.42.
Illiberale: comp. No. 70.
6. **Celeres motus:** active powers.
Linguae solutio: fluency of speech.
Se: M. 490, c. (5.)
7. **Statuebam:** set down.
Disertum: like *dissertatio*, from *disserrere*, to speak with skillful arrangement.
Augere: amplify.
8. **Declamatorem:** so Klotz. Most editors read *proclamatorem*.
Comp. No. 80.
Rabulam: from *rabere*. Comp. Eng. *rave*.
Facultatem: advantages for the exercise of the gift, which the next clause declares to be supernatural.
Caduceo: the herald's mace, rendering his person sacred.
Idemque: sc. *possit*. M. 488.
9. **Velit:** M. 388, b. (2.)
Quod—possumus: M. 398, b.
10. **Verborum conclusione:** period.
Explicata sententia:—*explicare sententiam*.
11. **Illi homines:** the ancients.
12. **Subtili:** woven fine; delicate and diffused.
13. **Vel—tardior:** parenthetic. Notice the derivation of *inculcetur*.
Aliquid: M. 242 (1).
Aget: M. 343.
14. **Rei dominus:** the judge.

- Gravitate**: M. 421, a.
- Phidias**: the famous sculptor. His chryselephantine statue of Athena, in the Parthenon, was finished B.C. 438.
15. **Confirmaverim**: M. 350, b.
16. **Sit positum**: let there be a place for it.
17. **Amanti**: M. 424, a.
- Horum**: not a partitive gen.
21. **Instituam**: Comp. Quintilian's use of the verb, and the title *Institutio*.
- Audierit**: M. 377.
22. **In accipienda causa**: from a client. So *unde discas*.
23. **Subtile**: even, plain.
25. **Probabilius**: more plausible.
29. **Naturae**, etc.: division of philosophy into physics, dialectics, and practical philosophy; which last the orator must know.
33. **Pudendo**: M. 218 (3).
35. **Unus**: one of many, nearly equivalent to our *a*.
- Roscio**: a very celebrated actor, whom Cicero often praises
37. **Ut enim**: M. 440 (4).
- Graeci ineptum**: Billerbeck says the Romans were not strong in etymology. He instances, in refutation of Cicero, ἀνάρμοστος, ἄτοπος, and ἀσχήμων; none of which, however, fully expresses *ineptus*.
39. **Inhibuerunt**: *inhibere* was a nautical word, meaning to row backwards. Cicero explains it in one of his epistles, and confesses a mistaken use; as in this passage. It is here put for *sustinere*. See Lex.
41. **Eruendum**: so Klotz. Most editions have *dicendum*. Orelli thinks the true word has fallen out.
42. **Diodoto**: Cicero elsewhere speaks of him with respect and affection. He became blind, but continued to study and to teach. He died B.C. 59.
- Ea causa**: to change and improve his style of speaking.
- Antiochus**: of Ascalon. He had a school in Syria, and also at Alexandria.
43. **Molonem**: a surname of Apollonius of Alabanda. None of his works survived.
45. **Videtisne**: M. 451, a.
47. **Genus hoc**: the historical.
- Pressus**: exact.
48. **Bellicum**: battle signal. It meant, also, the signal for marching.

52. **Theophrastus**: see Note, Part II., No. 48.
Aristoteles: comp. De Or. 3. 35. See Note, Part II., No. 46.
Xenophontis: both philosopher and historian.
53. **Themistocles**: B.C. 514–449.
Pericles: died B.C. 429. As an orator, he won the title of Olympian.
Alcibiades: died B.C. 404.
54. **Leontinus**: from Leontini, in Sicily, the home of Gorgias. This chief of the sophist-rhetoricians, who lived more than a century, went to Athens on an embassy, B.C. 427, and captivated the Greek youth by his brilliant oratory. For Socrates *versus* Gorgias, see Plato's dialogue.
Isocrates: B.C. 436–338.
56. **Una continuatione**: comp. *uno spiritu*.
Scripta declarant: containing periods so long that others, in uttering them, must twice summon their breath.
57. **Galba**: died about B.C. 137.
Carbone: an unscrupulous contemporary of the elder Gracchus. He took poison to avoid condemnation, B.C. 119.
Fratri pietatem: Caius Gracchus, nine years younger than his brother Tiberius, shrank from the troubrous rôle of a reformer, but thought he saw his brother's shade, which said, "Thou must die, like myself, in defending the rights of the people." Both lost their lives by the violence of the aristocratic faction; Tiberius, B.C. 132; Caius, ten years later.
58. **Antonium Crassumque**: whom Cicero makes interlocutors in the *De Oratore*. M. Antonius was born B.C. 143, and was put to death by Marius and Cinna, B.C. 87. L. Crassus, B.C. 140–91. These distinguished men, though rivals in the forum, were on terms of the most intimate friendship.
Scævola: father-in-law of Crassus, and the most famous jurist of his time. He is also one of the speakers in the *De Oratore*; but, using an old man's privilege, he retires with the first dialogue.
59. **Hortensius**: born B.C. 114, and thus eight years older than Cicero. Having entered the forum at the age of nineteen, he achieved immediate and brilliant success. While he was yet in the prime of life, his fame was overshadowed by that of Cicero: so that the estimate in the text is that of a successful and generous rival.
Scripsit: M. 337.

60. **Cottae et Sulpicii**: younger interlocutors in the *De Oratore*.
Philippo: comp. Horace, Ep. 1, 7, 46.
Cogitavisset: M. 369.
Aequalis: both Cicero and Pompey were born B.C. 106. Caesar was six years younger.
61. **Calamistris**: affected ornament; literally, crisping-pins.
63. **Gratiosi**: obliging.
Corona: the encircling crowd.
Aeschine: the antagonist of Demosthenes. Comp. Note, No. 134.
68. **Tractaturus**: others, *acturus*.
